Utrecht University Library
Partner in Science
Universiteit Utrecht

Specimen theologicum cum de Apocalypseos libro, tum de septem, quae illo continentur, epistolis

https://hdl.handle.net/1874/298933

SPECIMEN THEOLOGICUM

CUM DE APOCALYPSEOS LIBRO, TUM

DE SEPTEM,

QUAE ILLO CONTINENTUR,

EPISTOLIS.

SPECIMEN THEOLOGICUM

CUM DE APOCALYPSEOS LIBRO, TUM

DE SEPTEM,

QUAE ILLO CONTINENTUR, EPISTOLIS,

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

GEORGII GUILIELMI VREEDE,

JURIS ROM. ET HOD. DOCT. ET PROF. ORD.

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

VENERANDAE FACULTATIS THEOLOGICAE DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus

SUMMISQUE IN

THEOLOGIA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO ET SOLEMNI EXAMINI SUBMITTET

GUILIELMUS HERMANNUS KRIJT,

Haganus.

A. D. XXVI M. FEBRUARII, A. MDCCCLXI, HORA I.

Trajecti ad Rhenum,

TYPIS MANDARUNT KEMINK ET FILIUS.

MDCCCLXI.

MATRI

OPTIMAE, CARISSIMAE,

TENERRIMO SEMPER AMORE

A ME PROSEQUENDAE,

SACRUM.

PRAEFATIO.

Specimine meo absoluto, pauca praefari animus jubet. Me tandem pervenisse, quo dudum tendebam, haud exiguae laetitiae fons est, cuius rei Deo sit gratia. Attamen illi laetitiae magnus simul dolor immixtus est: quod, propter causas, cum domesticas, tum externas, eo, quo in votis habebam, modo, opus non potui conficere. Matris enim carissimae, gravissimo et diuturno morbo correptae, quo haud semel morti videbatur proxima et moribunda fere, conditio, perturbavit animi tranquillitatem et cogitationem fere peremit. Praeterea plus semel officia ab incepto opere me avocarunt, quae valde in specimine elaborando mihi obfuerunt. Paulisper rem meam differre potuissem, nisi tempus instaret, quo, ut sperare mihi licet, munus obiturus sim sanctum. Quod perpendas, quaeso, benevole lector! et huncce libellum summo

accipias obsequio. Mihi suffecerit, si a recta via non longius aberrasse videar. Mihi naevos ut condonetis, et aequo animo studiorum meorum primitias ut accipias, etiam atque etiam rogo.

Jucundissimo perfungor officio, gratissimum animum vobis, viri clarissimi! profitens, quorum per triennium institutione uti mihi licuerit. Post Parentes me plurimum vobis debere palam agnosco.

Tibi imprimis, clarissime VINKE! *aestumatissime Promotor! quae debeo, majora sunt, quam ut ego ea rite commemorare possim. Per omne tempus, quo tuis lectionibus uti mihi contigit, non tantum ingenti eruditione, humanitate etiam et amicitia tua tibi obstrictum me sentio. Benevolentiae eximia documenta, quae nullo non tempore a te expertus sum, enumerare vix et ne vix quidem possem. Tot tamque magna beneficia alta recondam mente, eorum grato animo recordari numquam desinam. Diu te Deus O. M., idemque benignissimus in Christo Pater, incolumem cum tuis servet; infinita Dei gratia eximios fructus Academia et Ecclesia ex te percipere pergat.*

Et tu, clar. TER HAAR! *tanta in me cumulasti beneficia, et tali modo ad majus studium adhibendum me impulisti, ut grata tui memoria temporis spatio evanescere nullo modo possit. Nescio, utrum institutioni tuae an vero benevolentiae plura debeam: pro utraque sinceras ut accipere velis gratias rogo. Semper tibi adsit Deus, semper ejus fruare auxilio potenti, ita ut, quae*

permulti mecum a te accepta referunt, plures etiam referre possint.

Te mihi liceat compellare, clar. DOEDES! *Tua etsi per annum tantum institutione me frui potuisse admodum doleam, Deo tamen gratias ago, me te praeceptore usum esse. Pro praestiti auxilii, singularis benevolentiae, insignis amicitiae speciminibus, semper me gratum fore credas. Semper comitatis tuae et facilitatis eximiae memor ero. Pro omnibus, quae mihi largitus es, amplissimas tibi offero gratias. Deum precari numquam desinam, ut quaevis bona tibi tribuat, ut diu te servet Academiae in honorem, Christi Ecclesiae in salutem. Faxit ut tua opera largissima segete efflorescat, ut auditores in deliciis te habere pergant.*

Ad vos me confero, viri clar. BOUMAN *et* MILLIES! *Sincera mente agnosco, me plurima vobis debere, cum vestrae institutioni, tum benevolentiae. Semper mihi aditus ad vos patuit, semper consilium et opem petenti benignissimi mihi fuistis. Pro omnibus gratias accipiatis. Pater coelestis propitius vobis adsit! Liceat tibi, clar.* BOUMAN! *optime merita quiete diu frui. Det tibi et collegae omnia, quorum indigetis, ita ut diu plurimis emolumento sitis.*

Restat ut suavissimo perfungar officio, tibi, Doct. BAX! *Gymnasii* Hagani *Rector! et vobis, quorum institutione me usum esse haud uno nomine laetor, Gymnasii Praeceptores! gratum testificans animum. Quod itidem vobis facio, viri clar., in Athenaeo* Daventriensi *Professores!*

imprimis vobis, clar. VAN DER WILLIGEN *et* METZLAR! *Numquam vestri exstinguetur grata memoria, numquam bona quaecumque vobis omnibus apprecari desinam.*

Tandem ad vos me confero, carissimi Amici! quos plures habuisse admodum laetor. Saepius recordor vestrum, quibuscum statutis horis convenire solebam, recordor omnium, et recordabor, dum spiritus hos reget artus. Pro omnibus, quae vobis debeo, gratia sit! Omnibus omnia fausta apprecor. Etiamsi mox longius a vobis discesserim, amicum me habere ut velitis rogo. Nec, ut persuasum mihi est, frustra rogo. Nam etsi nos, alii alio abeamus, vitae Academicae dulcissima recordatio et communium studiorum amor conjunctos nos tenebit et amicos: verae amicitiae sempiternae sunt.

Scripsi in pago HELLENDOORN.

a. d. XVI Februarii, 1861.

CONSPECTUS.

Pag.

§ I. Argumentum, forma, primi lectores apocalypseos . . 1.

§ II. Apocalypsis, a Johannis apostoli manu profecta. . . 6.

A. Argumenta externa . . . . . 7.

1. Testimonia 1i et 2i saec . . . . . 7.

2. Testimonia contra Apocalypseos authentiam . . . 23.

3. Orientis et Occidentis Ecclesia . . . . . 31.

B. Argumenta interna . . . . . 36.

§ III. De loco et tempore, quo apocalypsis confecta videtur. 48.

Introitus . . . . . 53.

Ima Epistola, ad Ephesinam ecclesiam . . . . . 62.

IIda Epistola, ad Smyrnaeam ecclesiam . . . . . 71.

IIIa Epistola, ad Pergamenam ecclesiam . . . . . 75.

IVta Epistola, ad Thyatirorum ecclesiam . . . . . 83.

Vta Epistola, ad Sardensem ecclesiam . . . . . 90.

VIta Epistola, ad Philadelphenam ecclesiam . . . . . 97.

VIIma Epistola, ad Laodicensem ecclesiam . . . . . 106.

Volat avis sine meta,
Quo nec vates nec propheta
Evolavit altius.
Tam implenda, quam impleta,
Numquam vidit tot secreta
Purus homo purius.

DE SEPTEM, QUAE APOCALYPSI JOHANNEA CONTINENTUR, EPISTOLIS.

§ I.

ARGUMENTUM, FORMA, PRIMI LECTORES APOCALYPSEOS.

Ἀποκάλυψις, revelatio, postremus Canonis N. T. liber, tribus potissimum constat partibus: *a.* I : 1—IV : 1, inscriptione et introitu; *b.* IV : 1—XXII : 5, longa visionum serie; *c.* XXII : 6—21, conclusione. Pars prima, in qua Messias Johanni comparet eumque jubet scripto mandare, quae visurus esset, continet epistolas, ad septem in Asia Proconsulari ecclesias datas, improbos adhortantes, consolantes pios. In secunda parte conspicitur coelum, Deus in throno considens, liber obsignatus, Dei decreta continens, et in medio Christus, agno similis, qui, leo ex Judae tribu et stirps Davidis, vicit ideoque aperiundi librum obtinuit potestatem. Aperiuntur sex priora sigilla, calamitates secuturas

innuentia, poenas malorum, spem fidelium. Jam ultimum aperitur sigillum et simul cum tubarum septem clangore, variae calamitates denuntiantur et miseriae. Sequitur descriptio certaminis regni divini cum Satana, Antichristo falsisque prophetis. Septem patinae, ira divina repletae, in terram effunduntur, et Babylonis vastatio celebratur. Coelo aperto, jam vates conspicit Messiam, albo insidentem equo, veste indutum sanguine tincta, et equitibus coelestibus stipatum. Postremo certamine Antichristus deletur, regnumque Messiae incipit. Post mille annos Satanas, liberatus, aggreditur regnum divinum, judicio vero extremo in aeternum damnatur. Post judicium omnia sunt renovata, novum coelum est novaque terra: et Hierosolyma nova, sponsae instar adornata, de coelo descendunt. Descriptio novorum Hierosolymorum et incolarum additur beatitudinis. Conclusio tandem et Messiae adventus desiderium libri finem constituunt.

Depingitur in hocce libro, vividis coloribus et audacibus imaginibus, Dei infinitum regimen, omnes omniaque comprehendens, additis carminibus laudibusque, de coelo auditis. Divino moderamine vitium regit, ut sublimes inde effectus nascantur: pietas virtusque contemnuntur, ut purgatae infinitam mox consequantur mercedem. Verbo: prophetice describitur historicus Messiani regni progressus et victoria Christique reditus. Certum rerum progressum in Apocalypsi adesse negat interpretatio, quae recapitulationem q. v. sequitur, cuiusque primi fautores fuerunt Augustinus [1])

---

1) In opere: De civitate Dei l. XX. c. 7—17.

et Tychonius [1]). Recapitulare oppositum est τῷ ordinem tenere, ut Augustinus l. l. c. 14: „Recapitulando dicit tamquam ad id rediens, quod praeterierat, potiusve distulerat," et occurrit ubi posteriore loco aliquid narratur, quod, temporis ratione habita, anteriore commemorari debuerat loco vel commemoratum est. Huic opinioni debetur denegatio procedentis semper orationis, ut ipse ait l. l. c. 17: „In hoc „quidem libro obscure multa dicuntur, maxime quia „sic eadem multis modis repetit, ut alia atque alia „dicere videatur, cum aliter atque aliter haec ipsa „dicere vestigetur." Hancce methodum, a Beza valde laudatam et eius exemplo comprobatam, etiam ulterius promovit Nic. Collado [2]), qui sigillis, tubis, patinis eadem praesignificari dicit, ad quem parallelismum septem epistolas 2 et 3 cap. etiam pertinere monuerunt Ludw. Crocius [3]), Matth. Hofmann [4]), Coccejus [5]), huiusque discipuli, ex quorum sententia septem illae epistolae Christianae ecclesiae indicant periodos. Hos etiam secutus Campegius Vitringa [6]), ita statuit: 1ma epistola (ad ecclesiam Ephesinam) continet ecclesiae

---

1) Aequalis fuit Augustini, scripsitque Apocalypseos expositionem, nunc deperditam, cuius, si Gennadio fides habenda, non ita magnum fuit pretium, cuiusque idcirco jactura non valde dolenda. Quae adhuc in Augustini operibus superest Expositio in Apocalypsin St. Joannis, neque Augustinum, neque Tychonium habet auctorem, sed recentiorem quemdam.

2) Methodus facillima ad explicationem sacrosanctae Apocalypseos Joannis theologi, ex ipso libro desumta.

3) Syntagma theol. 1635.

4) Chronotax. apocal. ratio synchron. Opp. theol. 1674.

5) Synops. et medulla prophet.

6) Ἀνάκρισις Apocalypseos Joannis Apostoli, 1705.

conditionem usque ad Decium imperatorem; 2da (ad Smyrnensem eccl.) ipsam tradit Decii persecutionem; 3a, (ad Pergamenam eccl.) spectat ad lites dogmaticas inde ab anno 320 usque ad saeculum 8um; 4ta (ad Thyatirorum eccl.) proponit papalis regiminis et auctoritatis depravationem, usque ad saec. 12i finem; 5ta (ad Sardium eccl.) agit de tempore sequenti, usque ad Reformationem, 6ta (ad Philadelphiae eccl.) exponit Reformationis progressus usque ad annum 1600; dum 7ma (ad Laodicensium eccl.) ecclesiam ante oculos ponit frigidam tepidamque Protestantium. Ut vero cum hisce epistolis et secum invicem quadrare faciat sigilla, tubas, patinas, in miras et permultas sese colligere debet spiras: nec mirum igitur, insignem Bengelium [1]), haud uno nomine laudandum, istam reliquisse viam. Commendanda tantummodo grammatica interpretatio, quae historico nititur fundamento.

Formam spectantes Apocalypseos mox apparet, eam esse bifariam; ab altera parte similis est epistolis, quales in N. T. occurrunt, ab altera vero parte propheticae V. T. dictioni, imprimis Ezechiëlis et Daniëlis, quorum praesertim hic futura proponit visibus et imaginibus, ab animalibus ductis. Non id agit auctor, ut reditum Christi regnique divini triumphum tamquam certum demonstret — epistolae tunc forma praestitisset — verum ut horum dogmatum, jam certo recepto-

---

1) Imprimis in Anglia Bengelius auctoritatem nactus est, versione ipsius operis, ibi curata a John Robertson, Med. Dr. Lond. 1757 sub titulo: Bengelius' Introduction to his exposition of the Apocalypse, with his preface to that work. Hoc opere factum, ut mox Angli in Apocalypseos lectionem studiumque incumberent.

rum, argumentum, proponat tamquam Christianae spei objectum. Eichhorn Apocalypsin drama nuncupat, cui cap. 1—3 prologus, cap. 22 : 6 sqq. epilogus sunt. Ipso in dramate primo invenit: Prolusionem IV : 1—VIII : 5 in qua scena adornatur; tunc tres Actus: act. 1 : VIII : 6—XII : 17. Hierosolyma expugnantur, s. Judaïsmus religione Christiana vincitur; act. 2 : XII : 18—XX : 10 Roma expugnatur s. gentilitas vincitur religione Christiana; act. 3 : XX : 11—XXII : 5 Hierosolyma coelestia de coelo descendunt s. futurae vitae felicitas in aeternum duratura. Eum jam praecesserat Dav. Parcus[1]), qui Apocalypsin drama propheticum esse dixerat. Statuit auctorem, (Johannem Apostolum,) poëtam esse praeclarum, qui, philologiae studio ductus drama scripsit; (!) et, etiamsi ita semet ipsum in angustias redactum sentiat, ut varia, quae suae obstant sententiae, enumeret, tamen drama apocalypsin nuncupat. Majore omnino jure ad epicum eam referas genus, cui etiam cantus optime quadrant. Partim vero cum epistolis N. T., partim cum prophetiis V. T. eam comparare, suadet ipsius operis accurata lectio.

Quod ad primos attinet lectores ex ipsa Apocalypsi apparet eam esse datam ad septem in Asia Minori ecclesias, (I : 4, 11). In hac quaestione de lectoribus solvenda, ipse liber tantum pro judice adhibeatur, neque est, quod Hengstenbergii accipiamus sententiam, qui numerum septenarium non ex ecclesiarum numero, verum e catholicarum et e Paulli apostoli epistolarum

---

1) Comm. in divinam s. Apostoli et Evangelistae Joannis apocalypsin, Heidelb. 1618.

numero, ductum opinatur [1]). Scripsit iis Johannes, ut vitia et peccata carperet: ut in fide et spe alios confirmaret: ut, qui Christo revera nomen dederant, doceret, ut in miseriis, quae jam aderant, atque mox etiam venirent, spem foverent, in Domino nixam, inconcussam, atque reditu Domini summam acciperent beatitudinem. Etsi autem primum quidem hic liber tradendus fuerit coetibus Asiae proconsularis, quorum singularis cura Johanni fuit demandata, nullus dubito, cum omnium interesset eiusmodi patefactionem accipere, quin deinde eius notitia propaganda esset, per universam ecclesiam Christianam, id, quod forte etiam indicatur C. XXII: 16.

§ II.

APOCALYPSIS, A JOHANNIS APOSTOLI MANU PROFECTA.

Quaestio summi momenti habenda, num revera Johannes Zebedaei filius, Jacobi frater, quem ante omnes discipulos in deliciis habuerat Jesus, hujus liber auctor fuerit. In qua solvenda, argumenta externa et interna, quae dicuntur, consideranda erunt. Ab illis autem ut ordiamur, primo 1i et 2i saec. audiamus testimonia, tunc testimonia perpendamus adversa, tan-

---

1) „Johannes hatte, da er an die sieben Gemeinden schrieb, schon das Vorbild der sieben katholischen und der vierzehn Paulinischen Briefe (mit Einschluss des Briefes an die Hebräer .....) vor Augen."

dem Orientis et Occidentis Ecclesia, quid de Apocalypseos origine statuerit, videamus.

A. ARGUMENTA EXTERNA.

1. *Testimonia* 1i *et* 2i *saec.*

PAPIAS ecclesiae Hierapolitanae in Phrygia episcopus fuit, et mortuus est ca annum 165. (secundum Chronicon Paschale martyrium subiit Pergami, Olymp. 235, 3.) Eum Apocalypsin, tamquam divinum reccpisse et fide dignum librum testantur duo e Cappadocia episcopi, Andreas et Arethas Caesareënsis, quorum ille saec. 5to, hic forte 6to floruit [1]). Andreas in prooemio commentarii sui in Apocalypsin ita loquitur: *περὶ μὲν τοῦ θεοπνεύστου τῆς βίβλου περιττὸν μηκύνειν τὸν λόγον ἡγούμεθα, τῶν μακαρίων* Γρηγορίου *φημὶ τοῦ θεολόγου καὶ* Κυρίλλου, *προσέτι δὲ καὶ τῶν ἀρχαιοτέρων* Παπίου, Εἰρηναίου, Μεθοδίου *καὶ* Ἱππολύτου *ταύτῃ προσμαρτυρούντων τὸ ἀξιόπιστον.* Idem fere tradit Arethas, qui plerumque Andreae verba describit. Ex illius igitur mente Papias Apocalypsin habuit *θεόπνευστον* = fide dignum, i. e. canonicum librum: quod ex Andreae sententia huc redit: Papias Apocalypsi apostolicam addixit originem, Johannemque apostolum habet ejus

---

1) De Arethae aetate non una est sententia: alii dicentes eum brevi post Andream florusse, alii longo temporis spatio illos esse disjunctos monentes. Hi imprimis provocant ad Codic. Typogr. Syn. Mosquensis: *Στυλιανὸς διάκονος ἔγραψα ἀρέθα ἀρχιεπισκόπῳ καισαρείας καππαδοκίας, ἔτει κόσμου, στομ. ἰνδικτιῶνος πέμπτης, μηνὶ ἀπριλίῳ, συμπληρωθέντος τοῦ τεύχους.* Verum plures forte fuerunt viri, quibus Arethae erat nomen.

auctorem, quod itidem de Irenaeo et Hippolyto valet ita loquentibus, ut constet eos Johannem apostolum auctorem esse statuisse. — In ipso suo commentario Andreas nonnulla Papiae adducit verba ἐπὶ λεξέως: Ἐνίοις δὲ αὐτῶν, δηλαδὴ τῶν πάλαι θείων ἀγγέλων καὶ τῆς περὶ τὴν γῆν διακοσμήσεως ἔδωκεν ἄρχειν· καὶ καλῶς ἄρχειν παρηγγύησε. Καὶ ἑξῆς φησι· εἰς οὐδὲν (δὲ) συνέβη τελευτῆσαι τὴν τάξιν αὐτῶν, quae verba veteri illustrantur scholio, in quo, post locum citatum (Apoc. XII: 7—9) haecce occurrunt [1]): Τοῦτο καὶ πατέρων παράδοσις καὶ Παπίου διαδόχου τοῦ εὐαγγελιστοῦ Ἰωάννου, οὗ καὶ ἡ προκειμένη ἀποκάλυψις, διαβεβαιοῖ. Παπίας δὲ καὶ ἐπ' αὐτῆς λέξεως οὕτως φησὶ περὶ τοῦ πολέμου, ὅτι εἰς οὐδὲν συνέβη τελευτῆσαι τὴν τάξιν αὐτῶν, οἱονεὶ τὴν πολεμικὴν ἐγχείρησιν· ἐβλήθη γὰρ ὁ δράκων, ὁ μέγας, ὁ ὄφις ὁ ἀρχαῖος καὶ ὁ Σατανᾶς καὶ διάβολος καλούμενος, καὶ ἐβλήθη εἰς τὴν γῆν αὐτὸς καὶ οἱ ἄγγελοι αὐτοῦ· διώνυμος δέ ἐστιν. Σατανᾶς γὰρ καὶ διάβολος καλεῖται; unde apparet priora Papiae verba ad Apocalypsin spectare, eamque igitur Papiae innotuisse [2]).

Objiciunt, jam antea Eusebium (H. E. l. 3. c. 39) de Papia commemorasse, eum ex traditione Chiliasmum hausisse, non vero ex Apocalypsi, quod procul dubio fecisset, si eam notam habuisset; et quaeritur, siquidem Papias Apocalypsin legerit, quidni eam ad Chiliasmum suum comprobandum, adhiberet: si revera

---

1) Catena in epistolas cathol. Accesserunt Oecumenii et Arethae commentarii in Apoc. Cramer ed. Oxonii, 1840.

2) Erravit igitur Eichhorn, contendens, Papiam Apocalypsin non cognitam habuisse. Sic quoque Lützelberger, die kirchliche Tradition üb. d. Ap. Joh.

in opere λογίων κυριακῶν ἐξήγησις eam laudavit, cur tandem factum sit ut Eusebius hoc nobis non tradiderit?

Eusebius, ita loquuntur, affirmat, Papiam e traditione tantum chiliasmum hausisse. Inspiciamus locum et ipsum Eusebium audiamus [1]): καὶ ἄλλα δὲ ὁ αὐτὸς συγγραφεὺς ὡς ἐκ παραδόσεως ἀγράφου εἰς αὐτὸν ἥκοντα παρατέθειται, ξένας τέ τινας παραβολὰς τοῦ σωτῆρος καὶ διδασκαλίας αὐτοῦ, καί τινα ἄλλα μυθικώτερα· ἐν οἷς καὶ χιλιάδα τινά φησιν ἐτῶν ἔσεσθαι μετὰ τὴν ἐκ νεκρῶν ἀνάστασιν, σωματικῶς τῆς τοῦ Χριστοῦ βασιλείας ἐπὶ ταυτησὶ τῆς γῆς ὑποστησομένης. Ἃ καὶ ἡγοῦμαι τὰς ἀποστολικὰς παρεκδεξάμενον διηγήσεις ὑπολαβεῖν, τὰ ἐν ὑποδείγμασι πρὸς αὐτῶν μυστικῶς εἰρημένα μὴ συνεωρακότα. Σφόδρα γάρ τοι σμικρὸς ὢν τὸν νοῦν, ὡς ἂν ἐκ τῶν αὐτοῦ λόγων τεκμηράμενον εἰπεῖν, φαίνεται. Num revera Eusebius hoc dicit? Confiteor eum παράδοσιν ἄγραφον tamquam fontem indicare, ex quo Papias Chiliasmum hauserit: verum, addit eum τὰς ἀποστολικὰς διηγήσεις non intellexisse: inter hasce autem, si de chiliasmi sententia sermo est, Apocalypsis primum tenet locum, et, hisce recte sese habentibus, conclusio facile nascitur, ex hoc Eusebii loco patere, Papiam etiam Apocalypsi usum esse. Exegeticus me prohibet sensus, quominus contrarium, i. e. Apocalypsin Papiae non innotuisse, e loco allato patere ponam.

Si vero, ut jam supra satis dilucide apparuit, revera Apocalypseos notitia gaudebat Papias, cur eam in defendenda et comprobanda sua de Chiliasmo sententia non laudat? Ne hoc impedimentum sit. Ut

---

1) H. E. l. 3. c. 39.

enim plerique confitentur, istis temporibus mos non erat librum citare, si universe notus et receptus erat: et insuper, hoc vim inferre neque potest neque debet nostrae hac de re sententiae, utrum Papias Apocalypsin cognoverit necne. Ea vero est usus, ut tam ex Andreae, quam ex Eusebii patet verbis. Quod tandem ad id attinet, si revera adduxerit Apocalypsin, Eusebium hoc nobis traditurum fuisse, tenendum, Eusebium non modo ob chiliasmum Papiam sprevisse, eumque σφόδρα σμικρὸν τὸν νοῦν nuncupasse, verum etiam ipsam Apocalypsin non adeo in honore habuisse. Andreas certe minus opinionibus praejudicatis hac in re, quam Eusebius ducebatur. Et cum haec ita sint, antequam Andreae testimonium prae illo Eusebii vilipendi patiamur, demonstrationem postulamus, hac in quaestione solvenda, majorem Eusebio quam Andreae competere fiduciam. Rem ita nobis proponimus: Andreas, videns Papiam Apocalypsi esse usum, eamque inspiratam habuisse, ex sui temporis universo more, Papiam eam apostolicam habere originem statuisse, duxit, id est, eam profectam esse a manu Johannis Apostoli; quam rem Eusebius, forte de industria, neglexit, saltem scriptis non mandavit. Ita Andreae et Eusebii testimonia sibi invicem non adversantur, et, si recte vidimus, Andreae omnino sententiae et judicio confidendum est.

Cum igitur in aprico sit Papiam Apocalypsin notam habuisse eaque usum esse, quaeritur, quid de ejus origine verosimiliter statuerit, sitque testis dignus, qui audiatur.

Papias Apocalypsin novit ejusque ἀξιοπιστίαν affir-

mat. Cum sacc. 1 exeunte natus, a° fere 165 mortuus sit, jam exinde patet Apocalypsin ad apostolicam pertinere aetatem, et ob Papiae testimonium doli fraudisve haberi nequit opus. Verum, dicat quis, Johannis quidem opus Apocalypsin habuit, non vero Johannis Apostoli, verum Johannis Presbyteri. Audio: sed, cum pervulgata et firma id temporis esset traditio Apostolum Johannem relegatum esse in insulam Patmum, quomodo tunc Presbyter Johannes verba I: 9 scribere potuit? Persuasum nobis est, Papiam habuisse Apocalypsin librum propheticum, fide dignum, minime suppositum; eum igitur Johannem habuisse ejus auctorem, et cum de Johanne Presbytero sermo esse non possit, eum de Apostolo cogitasse.

Est etiam, quod moneamus, discrimen, ut vulgo perhibetur, Eusebium inter et Irenaeum, quod ad Papiae aetatem. Eusebius l. l. testatur: Papiam non nisi hoc scripsisse opus: *Λογίων κυριακῶν ἐξήγησις* l. V., in quibus haec occurrunt, quae ad nostram spectant rem: *Εἰ δέ που καὶ παρηκολουθηκώς τις τοῖς πρεσβυτέροις ἔλθοι, τοὺς τῶν πρεσβυτέρων ἀνέκρινον λόγους· τί Ἀνδρέας, ἢ τί Πέτρος εἶπεν, ἢ τί Φίλιππος, ἢ τί Θωμᾶς, ἢ Ἰάκωβος, ἢ τί Ἰωάννης, ἢ Ματθαῖος, ἤ τις ἕτερος τῶν τοῦ Κυρίου μαθητῶν, ἃ τε Ἀριστίων καὶ ὁ πρεσβύτερος Ἰωάννης, οἱ τοῦ Κυρίου μαθηταὶ, λέγουσιν.* Confitemur, revera Papiam distinxisse duos inter viros, quibus Johannis erat nomen; alterum, Apostolum et Evangelistam, inter Apostolos nominat, alterum, Presbyterum, una cum Aristione[1]).

---

1) Hengstenberg, hoc negans, sine dubio erravit: ipsa quam maxime sua sententiae contraria habet verba.

Ex hisce autem verbis Eusebius concludit Papiam non Apostoli, verum Presbyteri Johannis fuisse discipulum. Irenaeus contra: ταῦτα δὲ καὶ Παπίας, Ἰωάννου μὲν ἀκουστὴς, Πολυκάρπου δὲ ἑταῖρος γεγονὼς, ἐπιμαρτυρεῖ, scribens, haud dubie eum tamquam Apostoli auditorem indicat: Johannis quidem nomen h. l. nude positum est, verum in praecedentibus de apostolo sermo fuerat. En duo sibi adversantes antiquissimi testes! Num revera sibi adversantur? Videamus et caveamus ne ex illius huiusve verbis plus quam par est deducamus. Quod ad Irenaei verba, non ita facile in iis errandi est locus, quippe quae luce clariora sint. Eusebius vero (et Hengstenberg hoc jure contendere mihi videtur) hoc tantum e Papiae verbis concludere debuerat, eo tempore, quo haec Papias scripsit, Johannem Apostolum jam emortuum esse (εἶπεν), Johannem vero Presbyterum, adhuc in vivis fuisse (λέγουσιν), tum ipsum Papiam nil prorsus hac de re dicere, utrum horum audiverit. Cum autem Irenaeus, minori temporis spatio a Papia disjunctus, certius et accuratius scire posset, utrum Johannem Apostolum audivisset, haud ita proclives sumus ad Irenaei testimonium prae illo Eusebii spernendum, eoque minus, quia, si ipsa recte interpretamur verba, nullum illum inter atque Eusebium videre possumus discrimen. Videtur igitur Papias Johannis Apostoli fuisse discipulus, (quamquam forte haud diu) et testis, omnino dignus, cuius cognoscamus et aestimemus sententiam.

Justinus martyr, qui floruit inter 139 et 161, procul dubio Apostolicam agnovit Apocalypseos originem, imo ita dilucide sententiam pronuntiat, ut, aeque

ac Papiam, quia rem tenere videtur suspensam, sic Justinum, ob nimiam perspicuitatem, testem fide dignum agnoscere nolint nonnulli viri docti. In Palaestina natus erat, et, si Eusebio fidem habemus, Ephesi colloquium habitum est, quod ipse tradidit in opere: Dialogus cum Tryphone Judaeo. In hocce dialogo (c. 80) regnum mille annos duraturum novis in Hierosolymis fore dicit. Ad comprobandam sententiam cum V. T. locos citat nonnullos (Ps. XC : 4. Jes. LXV : 17 sqq.) tum N. T. Apocalypsin, ita loquens: Συνήκαμεν καὶ τὸ εἰρημένον, ὅτι ἡ ἡμέρα Κυρίου ὡς χίλια ἔτη εἰς τοῦτο συνάγει, καὶ ἐπειδὴ καὶ παρ' ἡμῖν ἀνήρ τις, ᾧ ὄνομα Ἰωάννης, εἷς τῶν Ἀποστόλων τοῦ Χριστοῦ, ἐν Ἀποκαλύψει γενομένῃ αὐτῷ, χίλια ἔτη ποιήσειν ἐν Ἱερουσαλὴμ τοὺς τῷ ἡμετέρῳ Χριστῷ πιστεύσαντες προεφήτευσε, καὶ μετὰ ταῦτα τὴν καθολικὴν, καὶ συνελόντι φάναι, αἰωνίαν ὁμοθυμαδὸν ἅμα πάντων ἀνάστασιν γενήσεσθαι καὶ κρίσιν. Ut jam Eusebius monuit [1]), ex hisce verbis patet, Justinum Apocalypsin sanctum habuisse librum Johannemque Apostolum eius auctorem. Verum cum verba tam perspicua sint, nec apta quae detorqueantur, Justini testimonium spurium pronuntiare non dubitavit doct. Rettig [2]) qui verba: εἷς τῶν Ἀποστόλων Χριστοῦ a seriore addita esse manu statuit. Quod quam incertum sit ac arbitrarium quivis intelligens videt, imprimis cum jam Eusebius haecce pro authenticis acceperit verba. Si igitur non a Justini, verum ab aliena pro-

1) l. l. 4 : 18 : μέμνηται δὲ καὶ τῆς Ἰωάννου ἀποκαλύψεως, σαφῶς τοῦ Ἀποστόλου αὐτὴν εἶναι λέγων.

2) Das erweislich älteste Zeugniss für die Aechtheit der Apok., Leipz. 1829. Jam refutatur a Tholuckio, Lit. Anz. 1830.

fecta sunt manu ista verba, necesse est ea addita esse jam ante Eusebii tempora, nam ipsum ea in textum inseruisse Eusebium ipse Rettig negat. Mirum profecto in omnibus edd. eandem correctionem esse additam. Verum videamus, qua tandem re ductus ea spuria habeat? Quia parum est verosimile Justinum talem tamque insignem Apostolum hisce tantummodo indicasse verbis ἀνήρ τις κτέ. Quod parum verosimile Rettigio videtur, id forte aptissimum Justino est visum. Cum enim cum Tryphone Judaeo sermonem contulisset, homine, cui et vita et fata tam Christi, quam Apostolorum non innotuerant, quid mirum Justinum tali modo Johannem Apostolum indicare? [1]) Apparet, Rettigium opinionibus se duci passum esse praejudicatis, et voluisse, etiamsi omnia obstarent, huiusce tam clari, tam perspicui et antiqui testimonii vim infringere, illudque de medio tollere, ne suae de Apocalypseos origine, adversaretur sententiae. Ipsa autem brevitate, qua sententiam exprimit, Justinus nobis testis est, eam simul late patuisse et receptam esse.

Etiamsi unum hoc sufficiat testimonium ad Justini aequaliumque de Apocalypseos origine cognoscendam sententiam, dolendum tamen non plura ad nos pervenisse Justini hac de re effata. Quae de Justini commentario in Ap. feruntur, argumento carere videntur satis firmo. Hieronymus [2]) quidem scripsit: „Johannes „apostolus in Patmos insulam relegatus, scripsit Apo„calypsin, quam interpretantur Justinus Martyr et

1) Simili prorsus modo de Petro ita loquitur, c. 100: ἕνα τῶν μαθητῶν αὐτοῦ, (Χριστοῦ) Σίμωνα πρότερον καλούμενον, ἐπωνόμασε Πέτρον.

2) De viris illustribus, c. 9.

„Irenaeus," et in Eusebii chronici versione: „Sub eo" (Domitiano) „Apostolus Johannes in Patmos insulam re-„legatus, Apocalypsin vidit, quam Irenaeus interpre-„tatur," verum hisce verbis commentarius indicari non videtur, cum nemo de huius illiusve commentario in Apoc. quidquam noverit, neque ipse Hieronymus in catalogo Justini et Irenaei operum eos recenseat. Textus Graecus Eusebii operis habet: ὡς δηλοῖ Εἰρηναῖος et versio Armenica: „Uti narrat Irenaeus." Videtur igitur Hieronymus, vel nimis properans vel negligens, verba haud recte legisse vel male saltem vertisse.

Melito c. 168 Justini M. et Papiae aequalis, Sardium fuit episcopus. Ecclesiae igitur praefuit, cui una e septem Apocalypticis epistolis scripta est, quam ob causam minime contemnendus est testis. Vir sedulus et bene peritus scripsit secundum Eusebium, l. l. 4, 26. περὶ τοῦ διαβόλου καὶ τῆς ἀποκαλύψεως Ἰωάννου, secundum Hieronymum, de vir. ill. c. 24: de diabolo librum unum, de apocalypsi Joannis alterum. Eum autem Johannem Apostolum, non vero presbyterum auctorem Apoc. habuisse, jam exinde efficitur, Eusebium, diversas accurate indagantem sententias, hoc non omissurum fuisse, si sententiae, vulgatae contrariae, Melito favisset. Et hic igitur apostolicae originis nobis est testis.

Irenaeus, episcopus Lugdunensis, † 202, haud dubie Apostolo Johanni Apocalypsin tribuit, duobus locis, altero quo Christus in Sanctuario Johanni appareret, altero, quo sermo est de numero χξς'. [1]) Sic

---

1) Contra Haer. 4, 20. 5, 26. 30. Eus. l. l. 5, 8.

posteriore loco affirmat se numerum 666 accipere, 616 vero rejicere, ἐν πᾶσι τοῖς σπουδαίοις καὶ ἀρχαίοις ἀντιγράφοις τοῦ ἀριθμοῦ τούτου κειμένου, καὶ μαρτυρούντων αὐτῶν ἐκείνων, τῶν κατ' ὄψιν τὸν Ἰωάννην ἑωρακότων ..... Εἰ γὰρ ἔδει ἀναφανδὸν τῷ νῦν καιρῷ κηρύττεσθαι τοὔνομα αὐτοῦ, δι' ἐκείνου ἂν ἐῤῥέθη τοῦ καὶ τὴν ἀποκάλυψιν ἑωρακότος· οὐδὲ γὰρ πρὸ πολλοῦ χρόνου ἑωράθη, ἀλλὰ σχεδὸν ἐπὶ τῆς ἡμετέρας γενεᾶς πρὸς τῷ τέλει τῆς Δομετιανοῦ ἀρχῆς.[1]) Ut lectionem χξς' tueatur, provocat ad eos, qui Johannem, (et ex eius mente Johannem Apostolum) viderint: nonne hoc probat illos etiam homines Johannem Apoc. auctorem habuisse? Patet Irenaei tempore Apocalypseos apostolicam originem in dubium non esse vocatam: nam, qui de lectione quadam inquisiverit, num genuina, spuriave esset, ille procul dubio, de universi libri origine si dubitassent aequales, haud minorem, imo accuratissimam instituisset de libri auctore inquisitionem. Et ipse Irenaeus et aequales Johannem apostolum auctorem habuerunt. Patet hoc etiam ex effatis, ex Apocalypsi sumtis, quibus in certamine cum Gnosticis utitur, et ita quidem, ut, ne verbo quidem de ejus origine loquens, eam universe receptam et apostolicam esse habitam, indicet.

Ewaldus quaerit: cum Irenaeus de tempore quo opus scriptum sit, (sub finem Domitiani imperii) prorsus falsa tradat, negabimusne eum de auctore etiam errare potuisse? Utrum quod ad tempus revera falsa tradat, infra videbimus. (Cf. § III). Verum, paulis-

1) Ne quem offendant verba: ὁ καὶ τὴν Ἀπ. ἑωρακώς, (quae formula etiam occurrit 4, 37. 50. 5, 35. al.) tenendum eum saepissime etiam Apocalypsin citare hoc modo: Johannes ait, significavit.

per ponamus: Irenaeum revera errasse: at prorsus aliud quid est, errare de tempore, quo liber quidam confectus sit, ac de auctore libri falsa tradere! Illud facile cuipiam contingere posse in aprico est; hoc vero, quippe cardo rei, non ita facile locum habet. Insuper hanc contra Ewaldum habemus querimoniam: cum religio ei sit commemorare testes, apostolicae Apoc. origini faventes, nihil aliud agat necesse est, nisi testium nobis exponere mentem: non vero haec est quaestio, utrum falli nescii sint nec ne. Profecto! etiamsi non noverimus eum de tempore falsa tradere, tamen, quia humanum est errare, non negaremus eum errare posse.

Dolendum non certa effata ad nos pervenisse POLYCARPI, cuius Irenaeus erat discipulus, quique sine dubio inter illos numerandus est, qui Apostolum Johannem viderunt. [1]) Si quod verosimile videtur, dicamus, hoc est: cum Irenaeus nobis tradat, se omnia in mentem posse revocare, quae beatus Polycarpus de Johanne secum communicaverat, cumque ipse Johannem Apocalypseos habeat auctorem: haud temere suspicamur, ipsum etiam Polycarpum eandem Apoc. originem statuisse: saltem credibile vix est, Irenaeum taciturum fuisse discrepantiam, quae tam gravi in re Polycarpum, magistrum inter atque semet ipsum exstitisset. Sed

---

1) Adv. haer. 3, 3. Eus. 5, 20. ubi in epistola ad Florinum ita Irenaeus loquitur: αἱ γὰρ ἐκ παίδων μαθήσεις .... ἑνοῦνται αὐτῇ (τῇ ψυχῇ)· ὥστέ με δύνασθαι εἰπεῖν καὶ τὸν τόπον, ἐν ᾧ καθεζόμενος διελέγετο ὁ μακάριος Πολύκαρπος, καὶ τὰς πρόσδους αὐτοῦ, καὶ τὰς εἰσόδους, καὶ τὸν χαρακτῆρα τοῦ βίου, καὶ τῆν τοῦ σώματος ἰδέαν, καὶ τὰς διαλέξεις ἃς ἐποιεῖτο πρὸς τὸ πλῆθος, καὶ τὴν μετὰ Ἰωάννου συναναστροφὴν, ὡς ἀπήγγελλε, καὶ τὴν μετὰ τῶν λοιπῶν τῶν ἑωρακότων τὸν Κύριον κτέ.

confitendum Polycarpum neque in ep. ad Phil., neque in ep. ad eccl. Smyrn. de episcopi martyrio disertis verbis Apocalypsin commemorare. Ex hac vero re minime sequitur eum Apocalypseos caruisse notitia.

Theophilus c. 180 ep. Antiochiae, secundum Eusebium [1]) contra Hermogenem librum scripsit, qui temporum injuria periit. Dicit Eusebius de Theophilo: *καὶ ἄλλο πρὸς τὴν αἵρεσιν Ἑρμογένους τὴν ἐπιγραφὴν ἔχον, ἐν ᾧ ἐκ τῆς Ἀποκαλύψεως Ἰωάννου κέχρηται μαρτυρίαις.* Inde apparet Theophilum Apocalypsin, tamquam universe receptam considerare, et apostolicum opus, cum eius utatur effatis ad adversarium profligendum, atque Antiochenam ecclesiam eandem habuisse sententiam.

Apollonius c. 210 in Asia Minori vixit. De illo Eusebius refert: [2]) *κέχρηται καὶ μαρτυρίαις ἀπὸ τῆς Ἰωάννου Ἀποκαλύψεως· καὶ νεκρὸν δὲ δυνάμει θείᾳ πρὸς αὐτοῦ Ἰωάννου ἐν τῇ Ἐφέσῳ ἐγηγέρθαι ἱστορεῖ.* Bene tenendum, eum Montanistarum sectae esse adversarium, eumque scriptis eos esse adortum, et tamen eum Apocalypsin apostolicum habuisse librum, quod veritatis studiosum probat hominem. Insuper, multum ad probandam Apocalypseos authentiam, ejus confert testimonium propterea, quod fuerit presbyter in ecclesia Ephesina, ad quam una ex Apoc. epistolis data fuit, et in qua Johannes Apostolus extremum vitae suae tempus transegit. Ceterum, eum apostolum Johannem auctorem habuisse, jam exinde patet, quod locos ex illa cita-

---

1) l. l. 4, 24.
2) l. l. 5, 18.

vit, quod fieri non solebat nisi de librorum constaret authentia, et quod Eusebius contrarium certe nobiscum communicasset.

Epistola ecclesiae Viennae et Lugduni ad Asiae M. ecclesias post Marci Aurelii persecutiones (177) data, ab Eusebio [1]) conservata, inter alia haec habet: ἦν γὰρ καὶ ἔστι γνήσιος Χριστοῦ μαθητὴς, ἀκολουθῶν τῷ ἀρνίῳ, ὅπου ἂν ὑπάγῃ, cf. Ap. XIV : 4. Inde patet, Apocalypsin etiam in Gallia esse cognitam et receptam, num Irenaei opera, non liquet. Saeculo secundo igitur exeunte apocalypsi inter canonicos libros locum addixerunt omnes tam Montanistae, quam horum adversarii; ipsaque Apocalypsis cum in Syria, tum in Gallia nota erat.

Polycrates, c. 198, loquitur de Johanne, qui in Domini sinu accubuit, (ὁ ἐπὶ τὸ στῆθος τοῦ Κυρίου ἀναπεσὼν) qui sacerdos factus est τῷ πεταλῷ indutus, μάρτυρι καὶ διδασκάλῳ. Ubi hoc luculentius inveniri potest testimonium? Johannem sacerdotem vocat πεταλῷ indutum, et ante oculos habet pontificis V. T. אורים ותמים, quibus חשן המשפט erat ornatum, quo pectorali indutus Jehovam consulere ab eoque oracula accipere poterat. Indicatur igitur ille, qui in coelorum קדש קדשים revelationem accepit (ἀποκάλυψιν) diciturque in Jesu sinu accubuisse. [2])

Tertullianus († 220) Montanistarum sectae fuit assecla, quae prophetiae donum perdurare statuens et

---

1) l. l. 5, 1—3.

2) Sententia de Polycrate, synagogae cuiusdam Israëlitarum pontifice, ne digna quidem est quae commemoretur.

paracletum in Montani persona in terram descendisse, imprimis Johannis hunc in finem adhibebat Evangelium. Mox etiam Apocalypsi usi sunt ad chiliasmum suum defendendum. Tertullianus ex omnibus fere Apocalypseos capitibus quaedam citavit,[1]) et ita quidem, ut apostolicam eius originem a nullo addubitatam esse homine indicet. Unum eam e librorum sacrorum catalogo expungere monet, Marcionem, c. Marc. 4, 5: „Habemus et Johannis alumnas ecclesias. Nam „etsi Apocalypsin eius Marcion respuit, ordo tamen „episcoporum ad originem recusus, in Johannem stabit „auctorem." De ecclesiae vero aliorumve dubitatione ne verbum quidem. Obiter et quasi nullius fere momenti Marcionem nominat. Si vero plures adfuissent dubitationes, Tertullianus eos refutare conatus esset, procul dubio saltem commemorasset. Ejus igitur testimonio origo et late patens Apocalypseos notitia firmantur.

Clemens al. † 220, Apocalypsin ab apostolo Johanne scriptam esse testatur, Strom. L. VI. c. 13: *ἐν τοῖς εἴκοσι καὶ τέσσαρσι καθεδρεῖται θρόνοις, τὸν λαὸν κρίνων, ὡς φησὶν ἐν τῇ ἀποκαλύψει Ἰωάννης.* (cf. Ap. IV:4. XI:16). Paed. L. II. c. 12: *καὶ τὰς δώδεκα τῆς οὐρανοπόλεως πύλας, τιμίοις ἀπεικασμένας λίθοις, τὸ περίοπτον τῆς ἀποστολικῆς Φωνῆς αἰνίττεσθαι χάριτος ἐκδεχόμεθα.* (cf. Ap. XXI:21). Quod idem valet de:

---

1) De resurrect. carnis, c. 25 et 58. adv. Judaeos, c. 9. de corona militis, c. 13. de pudicitia, 19. de anima 8. 9. c. Marc. 3, 14: Nam et apostolus Johannes in Apocalypsi ensem describit, ex ore Dei prodeuntem, bis acutum, praeacutum, cet.

ORIGENE, qui varias de N. T. libris sententias indagat commemoratque. Auctorem Apocalypseos unum novit, Johannem Apostolum, quem Jesus in deliciis habebat: dubitationes vero nullas tradidit. Dicit in Joh. I: *φησὶν οὖν ἐν τῇ ἀποκαλύψει ὁ τοῦ Ζεβεδαίου Ἰωάννης, καὶ κτἑ.* et in Matthaei commentario [1]): *Τί δεῖ περὶ ἀναπεσόντος λέγειν ἐπὶ τὸ στῆθος τοῦ Ἰησοῦ, Ἰωάννου; ὃς εὐαγγέλιον ἓν καταλέλοιπεν, ὁμολογῶν δύνασθαι τοσαῦτα ποιήσειν, ἃ οὐδὲ ὁ κόσμος χωρῆσαι ἐδύνατο· ἔγραψε δὲ καὶ τὴν ἀποκάλυψιν, κελευσθεὶς σιωπῆσαι καὶ μὴ γράψαι τὰς τῶν ἑπτὰ βροντῶν φωνὰς κτἑ.* Fortasse Alogorum, Apocalypsin rejicientium, sententiam novit: nullam vero de illa facit mentionem, quippe quae illi operae pretium non videretur, neque digna, quae traderetur. Et cum Montanistarum esset adversarius, ideoque Apocalypsin e canonicorum librorum catalogo ejiciendi amplam haberet ansam, omnino fidus et probatus nobis videtur testis, qui veritatis ejusque solius studio duci se passus est.

HIPPOLYTUS [2]), c. 220 verosimiliter Romae vixit et scripsit: *τὰ (ἀπολογία) ὑπὲρ τοῦ κατὰ Ἰωάννην εὐαγγελίου καὶ ἀποκαλύψεως.* Apostolicae fautor exstitit originis: quod probant ll. all. in *Opp.* a FABRICIO edd. vol. I. p. 18 et 36.

---

1) Eusebius, l. l. 6, 25.

2) Secundum Photium fuit Irenaei discipulus, secundum Hieronymum, Origenis aequalis. Cuius urbis fuerit episcopus dubitatur: Zonaras, Nicephorus, al. Portus Romani episcopum eum fuisse perhibent. (*Πόρτου τοῦ κατὰ τὴν Ῥώμην*). Hippolyti opera recensentur in eius statua, Romae a°. 1551, detecta. Hieronymus, (Catal. in voce) affirmat eum librum de Ap. scripsisse: Andreas Caes. eum Ap. authentiam defendisse.

Vetus Syriaca versio, פשיטא, Apocalypsi caruisse videtur, testibus edd. et Cosma Indicopl. [1]). Est quidem Apocalypseos Syriaca versio [2]), verum haec ad Philoxenianam, s. ad Phil. Harclensem pertinere videtur. Eam olim in Syriaco adfuisse codice, postea ejectam esse, mera est conjectura, parum probabilis [3]). Ephraem († 378) Apocalypsin apostolicum et Johanneum habet opus [4]). Nec quisquam ex antiquis scriptoribus Syris, quoad equidem sciam, inventus est, qui ab Ephraemo dissenserit. Videtur e sacrorum librorum volumine esse omissam, propter suam indolem, quae effecit, ut minus idonea videretur, quae in ecclesia praelegeretur. Hanc ipsam ob causam rarius ejus fiebant ἀπόγραφα, et versiones. Ex Apocalypsi omissa in Syrorum antiquissima versione, sequi ipsam Apocalypsin prorsus Syriacae ignotam fuisse ecclesiae, nimis audax, saltem nimis vagum mihi videtur judicium: cui ut calculum adjiciam, demonstretur, alias ob causas Apocalypsin omissam esse, falsam esse sententiam.

Librorum catalogus, qui praelegebantur, forte saec. 2 ineunte ab ecclesia oriundus Romana, praecedente sacculo de pulvere depromptus a Muratori. (*Canon s. fragmentum Muratori*). Auctor ab illo habetur pres-

---

1) De Mundo l. 7.

2) A Ludov. de Dieu edita, 1627 L. B.

3) Hug. Isag. in N. T. vol. I. p. 298—301.

4) Assemani, Bibl. or. I. citans Ephr. dictum addit: „In hoc sermone „citat s. doctor apocalypsin Johannis tamquam canonicam scripturam — „quod ideo notavi ut constaret Syrorum antiquissimorum de illius libri „auctoritate judicium."

byter Cajus (v. i.) quod tamen non verosimile est, cum hic Cerintho Apocalypsin tribuisse videatur. In hocce fragmento postquam enumeratae sunt Paulli epistolae, sequitur: „Et Johannes enim in Apocalypsi, „licet septem ecclesiis scribat, tamen omnibus dicit," et statim post haec verba: „Apocalypsis etiam Johan- „nis et Petri tantum recipimus, quam quidam ex no- „stris legi in ecclesia nolunt." Apoc. igitur in isto catalogo diserte commemoratur et Johanni tribuitur.

2. *Testimonia contra Apocalypseos authentiam.*

Marcionitae primum in mentem veniunt, Apocalypsin spurium habentes librum. Cum vero dogmaticis ducti rationibus, non nisi Evangelio Lucae et Paulli epistolis uterentur, eorum judicio parum vel nihil fidendum et Apocalypsi auctoritas sua servanda est.

Nec majoris momenti *Alogorum* sententia.[1]) Hi, Montanistarum adversarii, saec. 2 ad finem vergente, floruere. Hanc ipsam ob rem, quod Montanistis sese opponerent, eorum retulit Johannis Evangelium, nec non Apocalypsin, quia Chiliasmo favere videbatur, rejicere, et Cerintho auctori tribuere. Varia in medium protulerunt, quibus sententiam defenderent, quorum

---

1) Primum ab Epiphanio lepide ita vocati, in Haer. 51 : 3 : ἄλογοι, ταύτην γὰρ αὐτοῖς τίθημι τὴν ἐπωνυμίαν, ἀπὸ γὰρ τῆς δεῦρο οὕτως κληθήσονται· καὶ οὕτως, ἀγαπητοὶ, ἐπιθῶμεν αὐτοῖς ὄνομα, τουτέστιν Ἄλογοι, εἶχον γὰρ τὴν αἵρεσιν καλουμένην, ἀποβάλλουσαν Ἰωάννου τὰς βίβλους· ἐπεὶ οὖν τὸν λόγον οὐ δέχονται τὸν παρὰ Ἰωάννου κεκηρυγμένον, Ἄλογοι κληθήσονται .... οὔτε τὸ τοῦ Ἰωάννου Εὐαγγέλιον δέχονται, οὔτε τὴν αὐτοῦ Ἀποκ. κτέ.

maximi momenti hoc videtur:[1]) Εἶτά τινες ἐξ αὐτῶν (Alogorum nempe) πάλιν ἐπιλαμβάνονται τούτου τοῦ ῥητοῦ, ἐν τῇ Ἀποκαλύψει τῇ αὐτῇ καὶ φάσκουσιν ἀντιλέγοντες, ὅτι εἶπε πάλιν· Γράψον τῷ ἀγγέλῳ τῆς Ἐκκλησίας τῷ ἐν Θυατείροις, καὶ οὐκ ἦνι ἐκεῖ Ἐκκλησία Χριστιανῶν ἐν Θυατείροις· πῶς οὖν ἔγραφε τῇ μὴ οὔσῃ; Quae verba hoc indicare videntur: auctorem Apoc. praescire debuisse, id temporis veram ibi non fore ecclesiam, cum a Montanistis depravata et certamine hos inter atque Alogos delcta esset. Et revera Epiphanius ita eos refellit, monens, ecclesiae interitum ab ipso Johanne esse praedictum, Ap. II: 20: ἐὰν εἴπωσιν, οὐκ ἦνι νῦν Ἐκκλησία εἰς Θυάτειρα, δεικνύουσι, πεπροφητευκέναι τὸν Ἰωάννην· ἐνοικησάντων γὰρ τούτων (Alogi) καὶ τῶν κατὰ Φρύγας, οἱ μὲν δίκην λύκων ἁρπαξάντων τὰς διανοίας τῶν ἀκεραίων πιστῶν μετήνεγκαν τὴν πᾶσαν πόλιν εἰς τὴν αὐτῶν αἵρεσιν, οἱ δὲ ἀρνούμενοι τὴν Ἀποκάλυψιν, τοῦ λόγου τούτου εἰς ἀνατροπὴν κατ' ἐκείνου καιροῦ ἐστρατεύοντο κτέ. Non est, quod alio sensu haecce verba accipiamus, ac si indicare voluissent Alogi, eo tempore, quo Apocalypsis confecta est, nondum in urbe Thyatirenorum exstitisse ecclesiam, quod cum Johannis, tum cuiusvis alius stupendum fuisset erratum, quale ne cogitari quidem nec de Johanne, nec de quodam fraudatore licet. Epiphanius ipse, ut vidimus, alio ea accipit sensu. In aprico est, Alogorum nullius pretii esse judicium et profecto mirum eos a quibusdam recentioribus in coelum esse evectos, cum luce clarius pateat, eos non historia duce, verum propter rationes dogmaticas et ἀλογίαν ita judicasse. Quis

1) Epiph. l. l. c. 33.

autem mentis compos Cerinthum Apocalypseos auctorem habere posset? Cerinthus Christum ψιλὸν habebat ἄνθρωπον, dum auctor Apoc. eum in omnibus Deo aequiparat: ἐγὼ τὸ ἄλφα καὶ τὸ ὦ, πρῶτος καὶ ἔσχατος, ἡ ἀρχὴ καὶ τὸ τέλος, aeque ac Deus אני ראשון ואני אחרון; Cerinthus Deum inter mundique creatorem distinxit, dum auctor Apoc. omnia ab unico Deo facta esse docet: (Cf. IV : 11. X : 6. XIV : 7). Simili prorsus jure quemvis alium libri auctorem haberemus, quando Cerinthus, si Apoc. scripserit, maxime suae sententiae se ipsum habet adversarium. Fraudis tunc esset opus, cujus nullum exstat, et numquam forte exstabit exemplum [1]).

Cajus *Romanus*, presbyter, c. 210, dialogum scripsit contra Cataphrygarum propugnatorem Proclum, in quo Cerinthi oppugnat Chiliasmum, cujusque fragmenta Eusebius nobis servavit. Quod ad nostram rem ita scripsit [2]): Ἀλλὰ καὶ Κήρινθος, ὁ δι' ἀποκαλύψεων, ὡς ὑπὸ Ἀποστόλου μεγάλου γεγραμμένων τερατολογίας ἡμῖν ὡς δι' ἀγγέλων αὐτῷ δεδειγμένας ψευδόμενος, ἐπεισάγει λέγων, μετὰ τὴν ἀνάστασιν ἐπίγειον εἶναι τὸ βασίλειον τοῦ Χριστοῦ, καὶ πάλιν ἐπιθυμίαις καὶ ἡδοναῖς ἐν Ἱερουσαλὴμ τὴν σάρκα πολιτευομένην δουλεύειν· καὶ ἐχθρὸς ὑπάρχων ταῖς γραφαῖς τοῦ θεοῦ ἀριθμὸν χιλιονταετίας ἐν γάμῳ ἑορτῆς θέλων πλανᾶν

1) Semler, (Neue Unters. p. 133 sqq.) putat Cerinthum auctoritate, qua apostolus Johannes in Asia valebat, esse abusum, in componendis sub eius nomine Apocalypseos fabulis. Montanistae ab hisce originem duxerunt, easque in Galliam pertulerunt. Ab hisce Montanistis Apocalypsin accepit Irenaeus in Gallia. Quod ad primum, mirum tam impudentem fraudem non esse detectam neque impostorem punitum, ut presbyter, qui sub nomine Pauli eius acta scripsit; quod ad hoc, facilius dicitur, quam probatur, ne gravius quid dicam.

2) Eus. H. E. 3. 28.

λέγει γίνεσθαι. Caius, confiteamur necesse est, Cerinthum h. l. Apocalypseos nominat auctorem; frustra vero historicum quaerimus et firmum, quo sententia nitatur, fundamentum. Oppugnat Montanistas, qui Apocalypsin Johanni tribuebant, et hanc ipsam forte ob rem Cerinthum habet auctorem. Idem igitur, id est nihil, eius valet judicium. Studio abreptus adversarios profligandi ipsi Apocalypsi sententias tribuit, quibus prorsus caret. Quidtali viro confidendum? Sagax verique amans vir accurate indagasset, quid revera Apocalypsi contineatur, et hisce Montanistas adortus esset telis: hoc vero quominus Cajus faceret pugnae prohibebat ardor.

Dionysius alexandrinus † 265, Origenis discipulus, primus fuit, qui, Apocalypsin suppositum habens librum, quibus ductus esset rationibus, accurate et subtiliter exponeret. Nepos, Aegypti episcopus, in provincia Arsinoë plurimos assecutus erat asseclas; sese opposuit allegoricae, ab origene commendatae, interpretationi, ut chiliasmi tueretur sententiam, in libro ἔλεγχος ἀλληγοριστῶν. Dionysius, a° 248 episcopus factus Al., a° 255 ipsos adiit Nepotis sectatores, compluresque erroris convicit, imo librum scripsit, cui titulus: δύο συγγράμματα περὶ ἐπαγγελιῶν, in quo et Nepotem refutare conatus est, et sententiam de Apocalypsi exposuit, quam itidem nobis servavit Eusebius.[1]) Postquam dixerat, nonnullos eorum, qui antea vixerunt, librum sprevisse tamquam obscurum amentiae fructum, et titulum mentiri monuisse, cum non Johannis, neque cuiusdam Apostoli, sed Cerinthi esset opus,

1) Eus. H. E. 7, 25.

ita pergit: „Ego vero librum contemnere haud auderem cum multi fratres magni eum faciant: μείζονα δὲ τῆς ἐμαυτοῦ φρονήσεως τὴν ὑπόληψιν τὴν περὶ αὐτοῦ λαμβάνων, κεκρυμμένην εἶναί τινα καὶ θαυμασιωτέραν τὴν καθ' ἕκαστον ἐκδοχὴν ὑπολαμβάνω· καὶ γὰρ εἰ μὴ συνίημι, ἀλλ' ὑπονοῶ γε νοῦν τινὰ βαθύτερον ἐγκεῖσθαι τοῖς ῥήμασιν· οὐκ ἰδίῳ ταῦτα μετρῶν καὶ κρίνων λογισμῷ, πίστει δὲ πλέον νέμων, ὑψηλότερα ἢ ὑπ' ἐμοῦ καταληφθῆναι νενόμικα· καὶ οὐκ ἀποδοκιμάζω ταῦτα ἃ μὴ συνεώρακα· θαυμάζω δὲ μᾶλλον ὅτι μὴ καὶ εἶδον. Tum, cum totum Apocalypseos librum percurrisset, ostendens, fieri non posse, ut κατὰ τὴν πρόχειρον διάνοιαν intelligatur, sic pergit: συντελέσας δὴ πᾶσαν, ὡς εἰπεῖν, τὴν προφητείαν, μακαρίζει ὁ προφήτης τούς τε φυλάσσοντας αὐτὴν, καὶ δὴ καὶ ἑαυτόν· μακάριος γάρ, φησιν, ὁ τηρῶν τοὺς λόγους τῆς προφητείας τοῦ βιβλίου τούτου· κἀγὼ Ἰωάννης ὁ βλέπων καὶ ἀκούων ταῦτα· καλεῖσθαι μὲν οὖν αὐτὸν Ἰωάννην καὶ εἶναι τὴν γραφὴν Ἰωάννου ταύτην, οὐκ ἀντερῶ· ἁγίου μὲν γὰρ εἶναί τινος καὶ θεοπνεύστου συναινῶ, οὐ μὴν ῥᾳδίως ἂν συνθείμην τοῦτον εἶναι τὸν Ἀπόστολον, τὸν υἱὸν Ζεβεδαίου, τὸν ἀδελφὸν Ἰακώβου, οὗ τὸ Εὐαγγέλιον τὸ κατὰ Ἰωάννην ἐπιγεγραμμένον, καὶ ἡ ἐπιστολὴ ἡ καθολική· τεκμαίρομαι γὰρ ἔκ τε τοῦ ἤθους ἑκατέρων καὶ τοῦ τῶν λόγων εἴδους, καὶ τῆς τοῦ βιβλίου διεξαγωγῆς λεγομένης, μὴ τὸν αὐτὸν εἶναι: Evangelista nusquam nomen addit, neque in Evangelio, neque in prima Epistola, Apocalypseos auctor jam statim se ipsum nominat; Evangelium et Epistola simile habent exordium: ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος — ὃ ἦν ἀπ' ἀρχῆς; καὶ ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο, καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν, καὶ ἐθεασάμεθα τὴν δόξαν αὐτοῦ — ὃ ἀκηκόαμεν, ὃ ἑωράκαμεν τοῖς ὀφθαλμοῖς ἡμῶν κτἑ. In Evangelio et in

epistola saepius occurrunt ἡ ζωή; τὸ φῶς; ἀποτροπὴ τοῦ σκότους; ἡ ἀλήθεια; ἡ χάρις; ἡ χαρά; ἡ σὰρξ καὶ τὸ αἷμα τοῦ Κυρίου; ἡ κρίσις; ἡ ἄφεσις τῶν ἁμαρτιῶν; ἡ πρὸς ἡμᾶς ἀγάπη τοῦ Θεοῦ; ἡ πρὸς ἀλλήλους ἡμᾶς ἀγάπης ἐντολή; ὁ ἔλεγχος τοῦ κόσμου, τοῦ διαβόλου, τοῦ Ἀντιχρίστου; ἡ ἐπαγγελία τοῦ ἁγίου πνεύματος; ἡ υἱοθεσία τοῦ Θεοῦ, etc. a quibus prorsus abhorret Apocalypsis: ne unum quidem ex hisce leviter tangit, imo, μὴ δὲ συλλαβήν cum Ev. et Ep. κοινὴν ἔχει. Ex hisce omnibus concludit, Johannem quemdam Apocalypseos auctorem esse: hoc αὐτῷ λέγοντι πιστευτέον. Quisnam Johannes fuerit non liquet, cum permulti fuerint, quibus Johannis inditum esset nomen, διὰ τὴν πρὸς ἐκεῖνον (Apostolum) ἀγάπην, et quia ἀγαπηθῆναι ὁμοίως αὐτῷ ὑπὸ τοῦ κυρίου in votis haberent.

Ex internis igitur ratiocinatur argumentis, comparatione Ev. et Ep. inter atque Apoc. instituta, eodem fere modo, quo hodie solent. In Oriente Alogi, in Occidente Cajus Apocalypsin Cerintho tribuebant. En Dionysius, hoc negans, Johannemque quidem auctorem habens, non vero Apostolum. Satis mira sagacitate quid Johannes Apostolus scripsisset, tamquam rem certam indicare non erubescit. Gratias agant Dionysii amici necesse est, ipsum sub apostoli nomine nihil finxisse: haud ita facile, opinor, fraudem animadvertissent! Ejus agendi ratio in re dijudicanda sine dubio improbanda, cum non sermo sit de hac re, quid ex huius illiusve judicis sententia auctor scribere debuisset, verum de ea, quid revera scripserit, cumque praeterea auctoris in componendo libro mens longissime distare possit ab lectoris cogitationum serie. Quod ad ipsum, occulti, sic apparet, Apocalypseos adver-

sarii, partes agens, nec eam plane respuit, nec auctoritatem ei adimit, verum hancce infringere ac diminuere conatur: confecta est a viro sancto et inspirato, tantum non ab Apostolo. Historicam ingredi viam testesque commemorare, qui apostolicae favent origini, neglexit, ne durius quid dicam, quos revera adfuisse e supra dictis apparet. Si quaedam major illi quam Cajo, tribuenda auctoritas, non magna profecto. Est igitur 3° saeculo Dionysii testimonium contra Apoc. authentiam, quo Alogorum Cajique tollitur et refutatur sententia. Et hi tantum Apostolicam negant originem, dum duobus prioribus saeculis nullum aderat dubium, et apostolus Johannes ab omnibus ejus auctor habebatur [1]).

---

1) Lücke, (Versuch einer vollständ. Einl. in die Off. Johannis, p. 330,) de Dionysio ita loquitur: „Via, quam ingressus est, nos „docet, eum, nec apud Alogos de Cerinthiana Apoc. origine, nec in „ecclesiae traditione de apostolica, certa et historica invenisse argumenta. „Quae si novisset, iis usus esset in confirmanda aut in mutanda sen„tentia. Divinatoriam abhibuit criticam, quia ab hac parte parum fir„mam habebat traditionem, ab illa aeque minus comprobatam Alogorum „sententiam. Si plura adfuissent, Dionysius ea novisset." Mera est conjectura. Jam vidimus viros, apostolicae aetati proximos, Apocalypsin Johanni ap. tribuisse. Ex Dionysii vero scriptis hoc non apparet, unde Lücke concludit, illos antiquos testes parum fidos fuisse. Quidni consulto eos omisisse Dionysium credamus? Sunt, qui ingenii acumini indulgere malint, quam testibus confidere: inter eos Dionysius locum tenere videtur. „Si plura adfuissent, Dion. certe haec cognita habuisset." Cognita ea non habuit, teste ejus libro, ergo non adfuerunt. Quaeso, quis huic subscribere possit conclusioni, cum major non comprobata, minor omnino repudianda sit! Testes non nominat, qui Apoc. spurium habuerunt librum: dicit tantum: τινὲς ἠθέτησαν τὸ βιβλίον, et tamen πολλοὺς ἀδελφοὺς Apoc. magno in honore habuisse testatur. Alterutrum: τινὲς, τῶ: πολλοί oppositi, fuerunt *multi*, qui tamen, quantum novimus, Alogi

Eusebius caes. († 340) qui N. T. librorum exposuit fata, variasque tradidit, quae de iis fovebantur, opiniones, quod ad Apocalypsin haesitat. Cum τὰ ὁμολογούμενα citat, sic loquitur [1]): ἐπὶ τούτοις (τοῖς ὁμολογουμένοις) τακτέον, εἴγε φανείη, τὴν Ἀποκάλυψιν Ἰωάννου· περὶ ἧς τὰ δόξαντα κατὰ καιρὸν ἐκθησόμεθα. Et cum sermo est de ἀντιλεγομένοις: ἔτι γε, ὡς ἔφην, ἡ Ἰωάννου Ἀποκάλυψις, εἰ φανείη, ἥν τινες, ὡς ἔφην, ἀθετοῦσιν, ἕτεροι δὲ ἐγκρίνουσι τοῖς ὁμολογουμένοις. Insuper c. 24: τῆς δ' Ἀποκαλύψεως ἐφ' ἑκάτερον ἔτι νῦν παρὰ τοῖς πολλοῖς περιέλκεται ἡ δόξα· ὅμως γε μὴν ἐκ τῆς τῶν ἀρχαίων μαρτυρίας ἐν οἰκείῳ καιρῷ τὴν ἐπίκρισιν δέξεται καὶ αὐτή. Hacret igitur in re dijudicanda, et etiamsi veterum nobiscum communicet testimonia, quid ipsi videatur non tradit, cum tamen id pollicitus esset. Dionysii fuse exponit sententiam, et in ea totus esse videtur. Quemvis alium N. T. librum huic vel illi addicit classi et inter ὁμολογούμενα, ἀντιλεγόμενα v. νόθα, ἄτοπα κ. δυσσεβῆ collocat. Si contradictio satis probanda adesset, quidni Apocalypsin in secundam, si non adesset, quidni in primam ponit classem? Cur suam ipsius reticet sententiam? Modo, Dionysii premens vestigia, in eo esse videtur, ut Johannem presb. habeat auctorem: modo, sententiam mutans, ab eorum stat parte, qui apostolo Apocalypsin tribuunt. L. L. c. 39, mentionem facit, de duobus sepulcris, et duobus viris, quibus Johannis erat nomen: alterum (i. e. presbyterum) tamquam

---

et Caius tantummodo sunt: aut πολλοί, τῷ: τινές oppositi sunt *plurimi*, universa fere ecclesia. Consulto vero ita scripsisse videtur Dion., qui, ut ex omnibus apparet, Apoc. minime in deliciis habet.

1) l. l. 3. 23.

Apoc. nominat auctorem: nisi quis malit, priorem (i. e. Apostolum) eius auctorem habere. Videtur igitur ipse Eusebius firmam non habuisse de Apocalypseos origine sententiam, vel saltem, eam pronuntiare non ausus est: et luce clarius apparet, vetustam ecclesiam apostolicae favisse origini, qua re Eusebius impeditus est, quominus Apocalypsi inter τὰ ἀντιλεγόμενα locum addiceret.

3. *Orientis et Occidentis ecclesia.*

Orientis ecclesia fluctuabatur: METHODIUS, PAMPHILUS, DIDYMUS, ATHANASIUS, BASILIUS M., GREGORIUS NYSSENUS, Apocalypsin tamquam opus apostolicum habuerunt. GREGORIUS NAZ. postquam enumeravit N. F. libros, praeter Apocalypsin, ita pergit: πάσας ἔχεις, εἴ τι δὲ τούτων ἐκτὸς, οὐκ ἐν γνησίοις. Cum vero hic illic Apocalypseos utatur effatis, eumque ANDREAS, (v. s.) eum in illorum ponat numero, qui theopneustiam Apoc. vindicant, haud ita spernenda suspicio, ipsum GREGORIUM eam legisse et authenticam habuisse, sed l. l. eum Apoc. indicare tamquam librum, qui in ecclesia palam non praelegebatur, quique ob difficiliorem sensum laïcis tradi non debebat. CYRILLUS ALEX. et ISIDORUS PELUS. Johannem apostolum auctorem habuerunt. CHRYSOSTOMUS, EPIPHANIUS, ANDREAS, ARETHAS etiam apostolicae favisse videntur origini; THEODORUS MOPS., quid censuerit, nos latet; CYRILLUS HIER. spuriam eam habuit. Synodus Trullana (quinisexta) a. 692 canonem recepit Laodicensem, inter 360 et 364 constitutum, et Apo-

calypsin ex scripturarum canonicarum omisit volumine. Cuique forte liberam voluit esse sententiam. Eandem concessit libertatem Synodus Nicaeae habita a. 787. JOHANNES DAMASCENUS (Saec. VIII.) evangelistam Johannem auctorem habuit. NICEPHORUS CALLISTI (Saec. IX.) quid statuerit mihi non liquet: videtur tamen Apocalypsin omisisse.

Ex his perspicuum fit, fuisse alios Apocalypsin repudiantes, alios dubitantes, alios authenticam habentes.

Horum exemplum fere universa occidentis secuta est ecclesia. AUGUSTINUS procul dubio inter canonicas eam habuit scripturas, uti et HIERONYMUS, qui in ep. *ad Dardanum de terra repromissionis* ita scripsit: „Illud „nostris (Christianis) dicendum est, hanc Epistolam, „quae inscribitur ad Hebraeos, non solum ab ecclesiis „Orientis, sed ab omnibus retro ecclesiis et Graeci „sermonis scriptoribus, quasi Paulli Apostoli suscipi, „licet plerique eam vel Barnabae vel Clementis arbi„trentur, et nihil interesse cujus sit, cum Ecclesias„tici viri sit et quotidie ecclesiarum lectione celebre„tur. Quod si eam Latinorum consuetudo non recipit „inter scripturas canonicas, nec Graecorum quidem „ecclesiae Apocalypsin eadem libertate suscipiunt. Et „tamen nos utraque suscipimus, nequaquam huius „temporis consuetudinem, sed veterum scriptorum „auctoritatem sequentes." [1])

---

1) Sic adv. Jovin. 2. 14, Johannem Ap., Evangelistam, simulque Prophetam nuncupat: apostolus, quia scripsit ad ecclesias ut magister; evangelista, quia librum evangelii condidit ....., propheta, vidit enim in Patmo insula, in quam fuerat a Domitiano relegatus, Apocalypsin, infinita futurorum mysteria continentem.

NOVATIANUS, Presbyter Romanus, saec. 3 medio, in Apocalypsi agnovit divinae auctoritatis librum: *de regula fidei* cap. 16, ubi alluditur ad Ap. XXII: 19 sq. VICTORINUS, Episcopus in *Panonia*, saec. 3 exeunte, in tractatu: *de fabrica mundi* Apocalypsin Johanni Apostolo et Evangelistae tribuit. LACTANTIUS, ineunte saec. 4. in *divinarum Instit.* l. 7. c. 17 nonnulla de postremis temporibus a vatibus praesignificata enarrat, quae, quin ex Apoc. Johannea sint sumta, nullum esse potest dubium. HILARIUS PICTAVIENSIS (368) *Prologi in librum Psalmorum* § 5 et 6, *Commentarii in Ps. I.* § 12, in *Ps. II.* § 22 et AMBROSIUS tamquam Apostolico libro Apocalypsi usi sunt. PHOEBADIUS AGENNENSIS in Gallia episcopus, eodem fere tempore, ut doceret Christo nomen Dei in SS. LL. tribui, ad Johannem provocavit, id *recognoscentem*, dicendo: *qui est et qui erat, et qui venturus erat*, omnipotens. Quo manifeste respicit ad locum Apoc. I: 8. FABIUS VICTORINUS, natu Afer, at Romae, fere anno 360 ad Christ. religionem senex adductus, paulo post *contra Arium* quatuor scripsit libros, in quibus ad Apocalypseos Johannis loca provocat, sententiae suae confirmandae causa. PACIANUS, Episcopus *Barcelonensis*, circa a. 370, in epistolis ad septem coetus datis, Apocalypseos 2 et 3 capp. Spiritus S. vocem veneratur. RUFINUS, Presbyter gente Italus, Monachus postea Palaestinensis, Hieronymo aequalis, in expositione Symboli Apostolici, quae a multis *Cypriano* adscripta est, non tantum Apocalypsin Johanni ipse tribuit § 5, sed et de auctoritate ejus Ecclesiastica testimonium exhibet § 36 sqq. PHILASTRIUS,

Episcopus *Brixiensis*, (circa a. 380) in libro *de Haeresibus* c. 59 sq., et PRUDENTIUS Hispanus in *Hymno ante somnum* Apocalypsin Johanni Apostolo tribuerunt. Verbo, nullus fere contradictioni erat locus.

Synodus Hipponensis a. 393, praeside Aurelio, Carthaginis episcopo habita, Apocalypsi locum assignavit inter canonicos libros [1]), uti et Synodus, Carthagine a. 397 habita. ISIDORUS HISP. (636), in libro: *de officiis eccles.* 1. 12. canonem tradit N. F. cuius et tempore et ordine postremus est liber Apocalypsis. Nec ille, nec RHABANUS M. ullam de fluctuantibus mentionem facit sententiis, quas tamen, cum de ep. ad Hebr. loquuntur, commemorant. Concilium tandem Toletanum a. 633 ita decrevit:

„Apocalypseos librum multorum conciliorum auctoritas et synodica s. s. Praesulum Romanorum decreta „Johannis evangelistae esse praescribunt et inter divinos libros recipiendum constituerunt. Et quia plurimi sunt, qui eius auctoritatem non recipiunt, eumque „in ecclesia Dei praedicare contemnunt, si quis eum „deinceps aut non receperit, aut a Pascha usque ad „Pentecosten missarum tempore in ecclesia non praedicaverit, excommunicationis sententiam habebit."

Jam si omnia antiquitatis colligimus testimonia, omnia fere apostolicae Apocalypseos favent origini, et satis certis fundamentis nitentes Johannem Apostolum

---

1) Can. 36: Ut praeter scripturas canonicas nihil in ecclesia legatur sub nomine divinarum scripturarum. Sunt autem canonicae scripturae: .... Apocalypsis Johannis. Ita, ut de confirmando isto canone transmarina ecclesia consulatur. (Eccl. Romana.)

habemus auctorem. Dubitatio, quam paucissimi viri fovebant, ex male intellecta Apocalypsi, aut ex opinionibus praejudicatis orta erat. Reformatores etiam, ERASMUS, CARLSTADT, LUTHER, ZWINGLI, OECOLAMPADIUS, BUCERUS, de Apocalypseos authentia dubitantes, vel eam negantes, aversa ducebantur voluntate, et plerumque librum metuebant, ab ecclesia Romana magni aestimatum. Initio 17i saec. ABAUZIT Apocalypsin Johanni Apostolo abnegavit [1]), quam sententiam etiam SEMLER et OEDER tuiti sunt. Quibusdam illis se opponentibus, praecedente saeculo itidem in binas viri docti discesserunt partes. Plerumque de libri authentia dubitarunt, imprimis hanc ob causam, quia fieri nullo modo posse sibi fingebant, Apocalypsin ab eadem profectam esse manu, a qua Evangelium et prima Epistola, de quorum authentia dubium iis non erat [2]). Schola Tubingensis, Apostolicum scriptum se legere persuasum habens, hanc ipsam ob causam, Evang. et primam Epist. respuit. Neutrum faciendum. Argumentis primum tam externis quam internis authentia cujusque demonstretur operis: qua probata ex diversa Apocalypseos et Evangelii scribendi ratione nullum omnino contra illam duci potest argumentum. Mirum in modum varii viri docti in late demetiendo, quod inter Apoc. et Evang. intercedit, discrimine sudarunt, alii summopere hocce vanum esse demonstrare conantes [3]).

---

1) Discourse historical and critical on the Revelation ascribet to St. John, Lond. 1730.

2) Cf. quae supra de Dionysio Al. monui.

3) Cf. imprimis Niermeijer, Verhandeling over d. echth. d. Joh. Schr. a Soc. Hagana aureo premio donatam.

Argumenta externa apostolum Johannem auctorem probare vidimus, et argumenta interna jam indagare licet.

B. ARGUMENTA INTERNA.

Ipse se indicavit auctor, tamquam Ap. Johannem; [1]) auctoritate indutus scripsit I : 4, 9. Notum Johannem in Asia Procons. summo habitum esse in honore, plurimumque valuisse, quod neque de Johanne quodam ignoto, [2]) neque de Johanne Marco [3]) dici potest. Fuit, ut apparet, vir, ecclesiis hisce septem optime notus, summique factus, qui minime addito opus habebat Apostoli nomine. Quin, si hocce nomen addidisset, adversarii, gaudentes, forte dixissent: En! impostor apostolus haberi gestit.

Chiliasmi sententia ex ipsa hausta est Apocalypsi. De millennio cogitabant Christiani; contra Judaei alii aliud, Messiano regno tribuebant spatium. Fuit ergo vir, magna vigens auctoritate, cui hujusce debetur sententiae origo, quique primum eam enuntiavit. In promptu igitur suspicio, Johannem apostolum, Apocalypsi sua, eius esse genitorem. Etiam liber traditus dicitur septem ecclesiis Asiaticis. Hae igitur eum vel acceperunt vel non acceperunt. Si neges, librum, ex insula Patmo, Johannis manu missum iisque traditum fuisse, quomodo, quaeso, potuit impostor, Johanne vel

---

1) Quis praeter eum scribere ausus esset de semet ipso: ὁ δοῦλος αὐτοῦ Ἰωάννης? δοῦλος κατ' ἐξοχήν?

2) Ewald, Schleiermacher.

3) Hitzig.

superstite vel mortuo, his persuadere coetibus, eiusmodi librum s. ab iis, s. ab eorum maioribus fuisse acceptum? Nisi autem ea de re persuasum fuisset his coetibus, liber saec. II, nulla accipi fide potuisset. Si vero traditum hunc librum dicas septem illis coetibus Asiaticis, dubitare nobis non licet de eius αὐθεντίᾳ. Etenim illi haud accepturi fuissent librum, nisi ab Apostolo scriptum, cuius nomen prae se fert: quandoquidem pars eorum, quae in epistolis, ad singulos coetus datis, scribuntur, parum iis essent honorifica, quippe eorum vitia et impia facinora damnans, et graves iis minans poenas, cff. c. II: 4, 5, 14—16, 19—23. III: 1—3, 15—19.

Auctor vero Apocalypseos, sic loquuntur, monet se distingui debere ab Apostolis, XVIII: 20: ipsum vero locum et orationem contextam inspiciens, hoc non video, nec videre aliquis poterit, modo recte interpretetur. Affirmant etiam XXI: 14, ipsum nullo modo scribere potuisse apostolum: cuius vero objectionis momentum percipere non possum. Scripsit enim auctor, quae vidit: in his etiam τεῖχος, ἔχων θεμελίους δώδεκα, καὶ ἐπ' αὐτῶν ὀνόματα τῶν δώδεκα ἀποστόλων. Cf. Ef. II: 20.

Maximi nobis momenti est I: 2. Ἐσήμανεν Ἰωάννῃ, ὃς ἐμαρτύρησεν τὸν λόγον τοῦ θεοῦ καὶ τὴν μαρτυρίαν Ἰησοῦ Χριστοῦ ὅσα εἶδεν. In binas discedunt partes hujus loci interpretes: alii ea verba de ipsa intelligentes Apocalypsi [1]), alii de Apostolica Johannis vita et opera. Objiciunt huius sententiae fautores: quae Johannes viderat, nondum ἐμαρτύρησε, verum ea μαρτυρεῖν incipit, et vetant,

1) Beza, Bengel, Züllig, Lücke, de Wette Hofmann. al.

quominus ex stylo epistolari aoristus explicetur. Et omnino, nisi egregie fallor, recte viderunt. Primum enim tenendum, Apocalypsin non esse epistolam, dein, locos allatos nihil omnino probare. Notum est, saepius auctores in lectorum veluti locum se transponere, et ideo scribendi actum tamquam praeteritum proponere, ita ut tempora verborum accommodata sint ad lectionis, non scriptionis tempus. Ut hoc, nostro etiam loco, factum esse demonstrent provocant ad Act. XV : 27, Rom. XVI : 22. Phil. 19. Ap. I : 3. Primo l. l. legimus: Ἀπεστάλκαμεν οὖν Ἰούδαν καὶ Σίλαν, καὶ αὐτοὺς διὰ λόγου ἀπαγγέλλοντας τὰ αὐτά. In hacce epistola Apostoli congregati et qui cum illis erant narrant, se Judam Silamque misisse: attamen, tempore, quo haec scribebant, eos nondum miserant, verum in eo erant, ut eos mitterent. En simile exemplum, dicitur. Videamus: isti legati cum fratribus Antiochenis locuti erant, antequam epistola, quam tradere debebant, legeretur: Antiocheni prius noverunt legatos esse missos, quam, quid Apostoli mandarent, iis innotuerit: antecedit legatorum adventus, sequitur epistolae lectio. De Antiochenorum igitur loco, dum epistolam legebant, legatio jam ad praeteritum pertinebat tempus, et accommodata sic ad lectionis tempus epistola, omnino aoristo hic locus est. Rom. XVI : 22 ἀσπάζομαι ὑμᾶς ἐγὼ Τέρτιος ὁ γράψας τὴν ἐπιστολὴν ἐν κυρίῳ, nil nostrae contrarii habet scribendi rationi: epistola finita non jam dici potest: γράφων sed γράψας. Phil. 19 : ἐγὼ Παῦλος ἔγραψα τῇ ἐμῇ χειρὶ, ἐγὼ ἀποτίσω. Ἔγραψα spectat ad praecedentem sectionem, et aoristus optime positus est. Ap. I : 3. μακάριος ὁ ἀναγινώσκων καὶ οἱ ..... τηροῦντες τὰ

ἐν αὐτῇ γεγραμμένα, non majoris est momenti: custodire enim, quod quis scribat, haud facile aliquis poterit: omnino potest, quod quis scripserit. Cf. etiam Act. XXIII: 30. Phil. II: 28. Phil. 11. Gal. VI: 11. 1 Petr. V: 12. 1 Joh. II: 21. Loci igitur allati nil probant. Si sect. 2 ad finem esset posita Apocalypseos, confiterer, eam spectare posse ad Apocalypsin [1]). Cf. Rom. XVI: 22; initio vero posita, absonum et omni scribendi rationi contrarium foret, si ad sequentia spectaret. Si quis dicat: s. 2 de Apocalypsi intelligi debet, quia s. 1 indicatur Apoc. Johanni contigisse, s. 3 prophetiae lectio jubetur, necesse ergo, s. 2 indicari prophetiae scriptionem, respondeo, Ἀποκάλυψις, primum vocabulum, per se jam indicare eam literis esse mandatam: est titulus fere libri, et Johannem Apocalypsin literis consignasse, unusquisque sciebat, qui Apoc. librum accepit.

Verba τὸν λόγον τ. θ. καὶ τὴν μαρτυρίαν Ἰ. Χ. etiam I: 9. VI: 9. XII: 17. XIX: 10. XX: 4 occurrunt. Ex hisce apparet locis iis verbis indicari firmam de doctrina Chr. deque Servatoris persona persuasionem, publica professione conspicuam. Μαρτ. Ἰ. Χ. est Gen. Obj., testimonium, quod de Christo profitetur aliquis. Hisce sententia nostra, supra enuntiata, etiam confirmatur. Insuper, si λόγ. τ. θ. cet. referenda essent ad ipsam Apocalypsin, quid tunc evaderet? Auctor haec dixisset: Apocalypsis data est Johanni, qui eam literis

---

1) Revera Züllig opinatur, s. 1—8 primi capitis, post totum librum scriptum, confectas et operi esse praepositas. Sententiam vero probare neglexit, et ita mera est conjectura, quam minime probabilis.

consignavit: iudicasset ergo, eundem, cui Apoc. contigit, eam memoriae tradidisse. Quam frigidum hoc sit, quis est qui non sentiat? Hisce coactum me video, s. 2. de praecedenti Johannis vita ut interpretar, per quam τὸν λόγον, qui σὰρξ ἐγένετο, professus erat, hominibusque denuntiaverat, quique scribere potuit: ὃ ἀκηκόαμεν, ὃ ἑωράκαμεν τοῖς ὀφθαλμοῖς ἡμῶν, ὃ ἐθεασάμεθα ..... ἀπαγγέλλομεν ὑμῖν.

Praeterea huic libro multae insunt sententiae, voces, dicendique formulae, similes iis, quas in reliquis invenias scriptis Johanneis: Deus ζῶν. Ev. VI: 57. Ap. VII: 2. Deus ἀόρατος. Ev. I: 18. 1 Ep. IV: 12. Ap. IV: 2. Christus animos hominum perspiciens. Ev. II: 24, 25. XVI: 30. XXI: 17. Ap. II: 2. 9. 13. 19. III: 1. 8. 15. Christus τὸ φῶς. Ev. I: 4. III: 19. VIII: 12. Ap. XXI: 23 sq. Christus suos amans. Ev. XIII: 1. al. 1 Ep. III: 16. Ap. 1: 5. Christus sanguinem suum pro iis effundens. Ev. I: 29. X: 15. I Ep. I: 7. Ap. I: 5. V: 9. VII: 14. Christus summum honorem, quem a Patre accepit, iis tribuens. Ev. XVII: 22. Ap. III: 21. Christus Satanam debellans. Ev. XII: 31. XVI: 11. 1 Ep. III: 8. Ap. XII: 9. Christus Pastor. Ev. X: 11—16. Ap. VII: 17. Christus mortuos in vitam revocans. Ev. V: 21. 25. 28. 29. XI: 25. Ap. I: 18. Christus judex humani generis. Ev. V: 22. 27. Ap. I: 7. XIX: 11. Spiritus S. ecclesiam docens. Ev. XIV: 26. XV: 26. 27. XVI: 13. 14. Ap. II: 7. 11. 17. 29. III: 6. 13. 22. XIV: 13. XXII: 17. Conditio impiorum mors, piorum vita. Ev. V: 24. 1 Ep. III: 13. 14. Ap. III: 1. Diabolus humano generi et Christo infensus hostis. Ev. VIII: 44. XIV: 30. Ap. XII: 3. 4. 9.

13—17; impiis imperans: Ev. XII:31. XIV:30. XVI: 11. Ap. II:13. XII:9. XX:3. Christus ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ: Ev. I:1. 1 Ep. I:1. Ap. XIX:13. Ἡ μαρτυρία τοῦ Ἰ. Ev. III:11. 32 sq. V:31. VIII:13. 14. Ap. I:2. 9. XII:17. Christus victor. Ev. XVI:33. Ap. III:21. Suis praebens aquam vivam, Ev. IV:10—14. VII:37 sq. Ap. VII:17. XXI:6. XXII:1. 17, et panem coelestem. Ev. VI:31—35. 48—51. 58. Ap. II:17. Insunt etiam Johannis Apocalypsi nonnullae voces, vel ab Johanne frequentatae, vel non nisi in scriptis Johanneis obviae. Prioris generis sunt: μαρτυρία, de Dei, Christi et Apostolorum doctrina. Ev. I:7. 19. III:11. 32, 33. V:31, 32. 36. VIII:13 sq. XIX:35. XXI:24. 1 Ep. V:9—11. Ap. I:2. 9. VI: 9. XI:7. XII:11. 17. et νικᾶν, tropice sumtum: Ev. XVI:33. 1 Ep. II:13 sq. IV:4. V:4 sq. Ap. II:7. 11. 17. 26. XII:11 al. Posterioris vero generis sunt: ἀληθινός, de Deo *verace* Ev. VII:28. Ap. VI:10. ἔρχου καὶ ἴδε. Ev. I:40. 47. XI:34. Ap. VI:1. 3. 5. 7. ἔρχεται ὥρα. Ev. IV:21. 23. V:25. 28. XVI:2. 25. 32. Ap. XIV:7. 15. περιπατεῖν ἐν τῷ Φωτί et ἐν τῇ σκοτίᾳ, Ev. VIII:12. XII:35. 1 Ep. I:6 sq. Ap. XXI:24. σκηνοῦν. Ev. I:14. Ap. VII:15. XII:12. XIII:6. XXI: 3. σφάττειν. 1 Ep. III:12. Ap. V:6. 9. 12. VI:4. 9. XIII:3. 8. XVIII:24. τηρεῖν τὸν λόγον. Ev. VIII:51 sq. XIV:23. XV:20. 1 Ep. II:5. Ap. III:8. 10.

Verum his argumentis internis non pauca a dissentientibus opponuntur, partim jam a Dion. Alex. inventa, partim a recentioribus addita. Et nonnulla quidem eorum arguere videntur, Apocalypsin a viro Theopneusto aut Apostolo scribi haud potuisse: alia

vero suspicionem faciunt scriptoris, non quidem improbabilis, attamen ab Johanne Apostolo diversi. Prius argumentorum genus, nisi refutetur, omnino repudianda erit Apocalypsis; posterius vero nisi refellatur, Johanni cuidam, non Apostolo liber erit adscribendus.

I. Ex priori argumentorum genere alia libri materiam impugnant, alia eius formam.

A. Et materia quidem his oppugnatur argumentis.

א. Liber parum continet, quod non notum jam fuerit Christianis ex ipsius Christi vaticinationibus: itaque novae Apocalypseos nomine indignus est. — Resp. Quae Christus summatim praesignificavit Apostolis, ea per partes in hoc libro exponuntur, novisque imaginibus illustrantur, ut adeo multa contineat haec Apocalypsis, quorum in Christi orationibus scriptisque Apostolicis nulla fiat mentio.

ב. Docet Apocalypsis contraria Christi et Apostolorum doctrinae.

α. Dicitur Christus Apocalypsin accepisse a Deo, c. I: 1. cum tamen ipse sit scientissimus, et, postquam in coelum escendit, Patri omnino similis factus. — Resp. In Christo spectanda est natura Jesu humana, quam sibi adjunxit Dei filius, ut et persona Regis a Deo constituti, cui hactenus Pater patefecerit regni sui fata, ab eo communicanda cum ministris suis. Cf. Joh. V: 19 et 20. XIII: 3. XVII: 7 et 8 cum Matth. XI: 27 et Marc. XIII: 32.

β. Negat divinam Christi naturam, cum dicens ἀρχὴν τῆς κτίσεως τοῦ θεοῦ, h. e. primam naturarum a Deo procreatarum, cap. III: 14. — Resp. Apocalypsis omnino consentit cum Evangelio et Epistolis

Johanneis in agnoscenda Christi natura divina. Dicitur enim ὁ λόγος τοῦ θεοῦ, c. XIX : 13. ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ c. II : 18. Eadem ei ac Patri tribuitur cogitatorum humanorum scientia, c. II : 23. Eadem auctoritas et potestas, c. I : 17. XXI : 23 etc. XXII : 1. Eadem laus ac veneratio, c. V : 8—14. Quod autem ἀρχὴ τ. κ. τ. θ. dicitur, eo indicatur, activum creationis principium. V. infra.

γ. Spiritus Sanctus praetermittitur, ut c. I : 1. ejusque in locum substituuntur septem spiritus s. 4. — Resp. Praetermitti potuit Spiritus Sanctus priori loco; alibi vero in Apocalypsi saepius laudatur, ceu docens, monens, consolans Christianos, in iisque loquens, c. II : 7. 11. 17. 29. III : 6. 13. 22. XIV : 13. XXII : 17. Quando vero septem dicuntur Spiritus c. I : 4. III : 1. IV : 5. V : 6, intelligendus est Spiritus Sanctus, cf. Sach. III : 9. IV : 6. 10, qui visibili proponitur forma (v. Mt. III : 16. Act. II.) dum numerus septenarius divinam indicat perfectionem [1]).

δ. Mors secunda dicitur c. II : 11. XX : 6. 14. XXI : 8, cum non nisi semel sit moriendum. — Resp. Describitur extrema miseria, quam post hanc vitam subituri sunt impii, quae, cum corporis mortem sequatur, dicitur mors *secunda*, appellatione scriptoribus quoque Judaeis recepta.

ε. Vindictam flagitant animi trucidatorum, VII : 10, cum tamen beati vindictam nolint. — Resp. Figurate describitur necessitas vindictae sumendae a contumacibus, postquam lenitate divina fuerint abusi.

---

1) De Wette, c. I : 4 et 5 analogiam cum Trinitatis doctrina inveniri confessus est.

ε. Ex Judaeorum gente centum quadraginta quatuor millia Dei sigillo signantur c. VII : 4—8, ad felicitatem summam destinati, cum tamen multo major sit numerus ex aliis gentibus ad eam colligendus. — Resp. Propterea vero sect. 9 e ceteris gentibus proponitur turba hominum ad felicitatem aeternam destinatorum, quam numerare nemo possit.

ζ. Preces Christianorum Deo commendantur ab Angelo, c. VIII : 4, cum tamen placere Deo non possint, nisi interveniente Christo. — Resp. Angelus in hac imagine proponitur tamquam nuntius, minime vero deprecatoris partes agit.

η. Regna mundi dicuntur facta Dei et Christi, c. XI : 15, cum tamen Christi regnum non sit mundanum. — Resp. Omnia Christo regi subjecta sunt, omnesque Reges et subditi Deum Christumque tandem sunt agnituri supremum Dominum.

θ. Coelibatus commendatur, c. XIV : 4, quod vero doctrinae Christi repugnat, erroremque sapit Encratitarum. — Resp. Figurate pingitur morum castitas.

ι. Angeli proponuntur Praesides ignis, aquae, terrae, cet. c. XIV : 18. XVII : 5, quae est superstitiosa Judaeorum opinio. — Resp. In visione symbolica prodeunt identidem Angeli Providentiae divinae ministri, quorum aliis aliae dantur partes.

ια. Deus jubere dicitur duplicem poenam ab hostibus ecclesiae sumendam, c. XVIII : 6. sq.; id, quod ab justitia ejus est alienum. — Resp. Quod videtur Deus jubere, id indicat, rem certo futuram : praenuntiatur autem calamitas, impiis eventura, duplo major, quam experti fuerant probi ab illorum impietate.

ιβ. Nuptiae agni ita celebrantur, ut somniarunt chiliastae. c. XIX : 6—9. — Resp. Neminem offendere potest imago sponsi et nuptiarum, quae in Evangeliis, cum Johanneo, c. III : 29, tum aliis, Mt. IX : 15. XXII : 1 sqq. XXV : 1 sqq. Luc. XII : 36 occurrunt, aut mariti et uxoris, quam Paullus adhibuit in ep. ad Eph. V : 23—32. Ea autem pingitur felicitas beatorum, qui sancto foedere cum Christo sunt juncti.

ιγ. Turpis est et Christiano homine indigna descriptio, qua c. XIX : 18 cadavera prostrati exercitus, quibus inhiant volucres rapaces, proponuntur tamquam coena magni Dei. — Resp. Haec coena dicitur a Deo parata volucribus, quia vi divina debellatus fuit exercitus hostilis. Similes sunt imagines Jerem. XII : 9, et Ezech. XXXIX : 17.

ג. Docet Apocalypsis ea, quae aliis de causis falsa sunt et absurda. Cuiusmodi haec esse dicuntur:

α. Quae in Apocalypsi praenuntiantur, dicuntur futura ταχὺ, ἐν τάχει, eorumque καιρὸς dicitur ἐγγὺς c. I : 1 et 3. XXII : 10, cum tamen non nisi post multa saecula sint eventura. — Resp. Praesignificat totus liber Christi adventum, quem ipse prope instantem dixerat, Matth. XXIV : 64, quatenus propediem sese erat demonstraturus Regem a Deo constitutum, probis cultoribus praemia, hostibus poenas distributurus.

β. Judaei ad pedes Christianorum adoraturi dicuntur, c. III : 9, quod tamen non factum est, neque fieri id oportuit. — Resp. Dicuntur, προσκυνεῖν ἐνώπιον τῶν ποδῶν τινος, qui ante pedes viri honorati, orientalium more, sese projiciunt, et, humi strati, favorem eius et

auxilium implorant, cf. Act. X : 25. Ap. XIX : 10. XX : 8. Itaque praesignificatur fore, ut Judaeorum nonnulli in Christianorum partes transeant, sibique submisse expetant societatis Christianae consortionem. Eadem imago redit c. XV : 4, sumta ex Jesaïae LX : 14 et XLIX : 14.

ג. Clamat Angelus, c. XIV : 8, lapsum esse Babylonem, cum tamen nondum lapsa ea urbs fuerit, c. XVIII : 2. — Resp. Sic frequenter in visis propheticis ea dicuntur facta, quae certo sunt futura.

ד. Magna videtur Apocalypsi intercedere similitudo cum quarto Esrae libro Apocrypho; unde par utrique pretium est statuendum. — Resp. Quamvis negari nequeat existere in utroque verba ac sententias similes, ipsorum tamen librorum indoles, argumentum et consilium valde discrepant. Cf. Eichhorn, in Bibl. p. 594—605. Isag. p. 457—465.

B. Forma libri his impugnatur difficultatibus.

א. Obscurus est liber, adeo ut a nemine intelligi queat. — Resp. Obscuritas libri tanta non est, quanta vulgo creditur. Nec tanta fuisset visa legentibus, nisi justa interpretationis subsidia diu fuissent neglecta. Quae autem revera est difficultas, ea abesse non potest a libro vatidico, imaginibus symbolicis et aenigmatibus referto. Conf. Eichh. Bibl. p. 555—583, et Isag. 443—448.

ב. Refertus est liber imaginibus rudibus, deformibus, ineptis, e quibus idonea sententia elici haud possit. — Resp. Singulos si excutias locos, plurimos invenias valde aptos, elegantes, sublimes. Quibus si intermixta sint alii, minus nobis visi formosi, nec rerum

imprimis coelestium, Solis, Lunae, Stellarum, naturae convenientes, cogitandum est ingenium orientalium a nostro longe diversum, imprimis vero consideranda est vis illa imaginandi vividior.

II. Restat posterius argumentorum genus, ab iis adhibitum, qui Apocalypsin ab Johanne Apostolo profectam negant, etiamsi libri praestantiam et theopneustiam agnoscant. Hi igitur nonnulla deprehendere sibi visi sunt, ab Johannis hujus ingenio, scribendi ratione et aetate aliena. Itaque inquiunt:

A. Scriptor Apocalypseos nomen suum aperte profitetur, c. I : 1 et 9, XXII : 8, id, quod Johannes Apostolus neque in Evangelio fecit, neque in Epistolis. — Resp. Multae esse possunt causae, quae inducunt scriptorem, ut unum edat librum apposito nomine, alterum eo omisso. Apocalypsin tradebat, Jesu Christi nomine, coetibus Asiaticis, in eaque Prophetae partes plane singulares agebat: ideirco oportebat eum consuetudinem sequi Prophetarum, nomen suum profitentium.

B. Nulla in Apocalypsi fit mentio aut Evangelii aut Epistolarum Johannearum. — Resp. Hoc opus non est ad probandam authentiam. Ejusmodi igitur silentium nihil detrahit auctoritati libri ab ipso scriptore alibi non laudati. Cf. Eichh. Isag. p. 442 sq.

C. Multa in Apocalypsi desiderantur, in quibus Evangelium et Epistolae Johanneae consentiunt. — Resp. Non negandum est Evangelium et Epistolas Apostoli nonnulla referre sibi invicem similia, quae in Apocalypsi frustra quaeras. Illius quidem similitudinis causa est in affinitate consilii, quod in scribendo habuit Johannes, ut et in argumenti, quod tractat, similitudine;

quae cum longe diversa sint in libro nostro vatidico, nemo paulo prudentior hanc differentiam mirabitur; nec tamen ea discrepantia tanta est, quanta multis fuit visa.

D. Thyatiris non fuit ecclesia Christiana, Johannis Apostoli aetate, idcirco hic illi Epistolam scribere non potuit, quae Apoc. II: 18-29 exhibetur. — Resp. Est ea dubitatio profecta ab Alogis saec. 2 haereticis, Apocalypsin rejicientibus, de quorum sententia conf. quae scripsimus p. 23 sq.

His igitur dubitationibus ingenue in medium prolatis et confutatis, non est, quod multus sim in commemorandis aliis etiam pro Apocalypseos authentia argumentis internis. Tot exstant ingenii, stilique Johannei documenta in Apocalypsi, ut dicendus sit ejus scriptor vel ipse Apostolus, vel consulto Apostolum imitatus, lectoribus ut fucum faceret. Hoc vero ab eo minime factum fuisse, docent multi loci eam discrepantiae speciem habentes, quae facillime evitari potuisset. Est enim ea Apocalypseos cum Evangelio et Epistolis similitudo, ut, si eam apte fabricatam dicas, huic artifici tribuenda sit, simul summa diligentia in imitando, simul vero summa negligentia in non imitando Johanne et in non evitanda dissensionis specie.

§ III.

DE LOCO ET TEMPORE, QUO APOCALYPSIS CONFECTA VIDETUR.

Apocalypsin in Patmo insula, aut Ephesi, aut in Asia Proconsulari confectam esse, contendunt viri do-

cti. Quarum prima sententia plurimum, quo se commendet, habere videtur, ut mox patebit. Quod ad tempus, secundum plurimorum judicium Galba, vel, rebellione trium principum missa, Vespasiano imp., brevi post Neronis persecutionem, anno fere ante Hierosolyma deleta, Johannes librum scripsit. Cui vero sententiae ut calculum adjiciam, prohibent variae rationes, eaedemque mihi maximi momenti.

Si in quaestione de auctore solvenda antiquissimi audiendi sunt testes, non minus quid hac de re judicaverint videndum est. Domitiano imp. Apocalypsin confectam esse testantur IRENAEUS, [1]) CLEM. AL., [2]) ORIGENES, [3]) EUSEBIUS, [4]) TERTULLIANUS, [5]) HIERONYMUS. [6]) Et ipse Johannes, ni fallor, se in exilium esse missum narrat I : 9, διὰ τὸν λόγον τοῦ θεοῦ καὶ τὴν μαρτυρίαν Ἰ., quae praep. semper fundamentum, causam (praeteriti quid) indicat, numquam scopum, finem (futuri quid). Λογ. τ. θ. igitur causa fuit, quae antecessit auctoris commorationi in Patmo insula; nullo modo indicare possunt haec verba Evangelii denuntiationem in Patmo insula, neque revelationem, quippe quae ad futurum pertinerent tempus. Verbum Dei et J. C. testimonium effecerunt, ut ibi commorari deberet: indicat h. l. se, lectorum miseriarum et afflictionum participem, propter illud in insula versari, non *ut* illud acciperet, verum *quia* illud professus erat.

---

1) l. l. 5, 30.
2) Quis div. § 42. (Eus. 3. 23).
3) In Matth. XX : 22 sq.
4) 3 : 18. 23.
5) Adv. Haer. c. 36.
6) De vir. ill. c. 9, ubi quarto decimo Domitiani imperii anno, i. e. 95, Johannem relegatum esse refert.

Ne dicat quis: Johannes, pericula metuens, sponte illuc recessit. Exilium quidem diserte non nominat, verum ex oratione contexta, eaque patrum testimoniis firmata, patere, exilium fuisse, non est quod dubitemus. Ipsam traditionem e male intellecta s. 9 ortam esse saepius affirmarunt, verum numquam comprobarunt sententiam: etiam hoc facilius dicitur quam probatur. Nullus dubito, quin a Domitiano in Patmum insulam relegatus fuerit Johannes: et has ob causas, et quia notum, Domitianum Christianos etiam in exilium misisse, cum, quod ad Neronem, probari non possit, eum etiam extra Romam eos persecutum esse.

Qui de Galba cogitant, traditionis nulla habita ratione, ad sententiam comprobandam provocant ad c. XI, quo Hierosolyma nondum deleta proponi monent. Verum quaeso, quo jure? Num Johannes, templum non vastatum iri scribens, eorum, quae Dominus praedixerat, (Mt. XXIV.) oblitus erat? Quinam duo illi testes in Hierosolymorum vastationis historia fuere? Num decima tantum delcta? Provocant porro ad cap. XVII: 10: „quinque reges (lege: imperatores) ceciderunt; (Au„gustus, Tiberius, Caligula, Claudius, Nero;) sextus „nunc est, (Galba,) post septimum Nero redibit." Ergo Johannes eandem habuerit exspectationem, quam aequales, fac eam tam late esse sparsam, quamque brevi post eventus frustratus est? Ergo, quum Apocalypsis lectores quosdam nacta esset, statim rerum eventu tamquam falsa revelatio notata est? Et Johannes librum suum non combussit, neque errorem revocavit? Si de hac interpretatione nullo modo nullaque ratione addubitari posset, nullus dubitarem, quin satis futilem

Apocalypsin haberem librum. In dubium vero vocari potest et debet, et potius me τὸν ἀριθμὸν τοῦ θηρίου nescire confiteor, quam ut tali subscribam interpretationi, quae tot tamque gravibus premitur difficultatibus.

Hisce quaedam addamus. Ap. Paullus, Hierosolyma proficiscens, Ephesinam hortatur ecclesiam, non vero culpat: et (a° 60 fere) Romae degens, eam in epistola laudat. Quomodo fieri poterat, ut, si Apocalypsis a° 68 confecta est, tam brevi spatio ecclesia degeneraret et de pristina pura conditione delaberetur? Poteratne Dominus revera profiteri: ἔδωκα χρόνον ἵνα μετανοήσῃ? Ad posterius omnino tempus Apocalypsis spectat, cum errores, Apostoli dum vivebant, orti, ulterius jam progressi essent et jam dudum radicem egissent.

Quae cum ita sint, P. P. testimoniis fidem habere praestat criticae interiori morem gerundo, quae sibimet ipsi damno est, tam perspicua spernens testimonia in libro obscuro interpretando, qui modestiam flagitat prudentiamque singularem.

Cl. HERINGA [1]) Neronis ultimo tempore scriptam Apocalypsin putat, quod ut faciat rationes suadent hae: 1. Apocalypsis praesignificat poenam ab Judaeis propediem dandam, qui Christum cruci affixerunt. c. I: 7. cl. 3., quae poena ab iis data fuit, cum vastaretur Hierosolyma et destrueretur eorum respublica. — 2. In ep. ad legatum ecclesiae Ephesinae data, damnantur, qui sese falso Christi dicebant Apostolos, c. II: 2, Ephesini autem a primo erga Christum amore decessisse

1) In *Introitu in Il. N. F. MSto*, quem, una cum *Viri Clar. Annotatione* in septem Epistolas Apocalypticas, mihi suppeditavit Clar. VINKE.

dicuntur. Neutrum convenit tempori Domitiani, quum et ceteri Apostoli e vita excesserant, et Ephesina ecclesia ad primum amorem redierat, teste Ignatio, ep. ad Eph. §§ 6, 9. — 3. Praenunciatur Hierosolymae excidium, propediem futurum c. XI: 1. 2. 8. — 4. Quodsi scripta esset Apocalypsis, destructa jam Hierosolyma, credibile est, huius rei tam horrendae imagines animo Johanneo obversaturas fuisse magis vividas et accuratius expressas, quam quae describuntur c. XI. — Quod autem ad 1: s. 7. non poenam praesignificat, a Judaeis propediem dandam, neque Hierosolymae vastationem, sed libri argumentum et prophetiae summarium initio libri jam commemorat Johannes, exemplum secutus Prophetarum, cf. Am. I:2: ultimum Domini, *Judicis*, adventum, quando ὄψεται αὐτὸν πᾶς ὀφθαλμός. Non tantum fideles cultores eum videbunt, summam concedentem gloriam, cf. XIX: 1 sqq. XX: 11 sqq. XXI: 1 sqq. Matth. XXV: 31 sqq. 1 Th. IV: 16 sqq. verum etiam impii ac perfidi hostes, dignas retribuentem poenas, cum οἵτινες αὐτὸν ἐξεκέντησαν, tum αἱ φυλαὶ τῆς γῆς. Quod ad 2: etiamsi Apostoli fato essent functi, poterant adesse viri, profitentes, se a Christo esse missos; et si jam id temporis ad primum amorem redierat Ephesina ecclesia, laetandum est, Epistolam Johanneam eam habuisse vim. Quod ad 3: c. XI. excidium Hierosolymae praenuntiari vix credo, ob rationes, supra commemoratas. Quod ad 4: si ad aliud quid spectat c. XI. quam ad Hierosolymae vastationem haecce tollitur difficultas.

INTROITUS.

Ab Asiae Minoris littore vela danti per Aegeum mare meridiem versus, mox apparet nigra rupes, *Patino* s. *Patmosa* dicta, una ex Sporadibus, q. v. insulis. Pauci Graeci illam habitant. Est insula, olim *Patmos* nominata, fuit Johannis Apostoli quondam sedes. Senex, illuc a Domitiano relegatus, die dominico ἐν πνεύματι erat, audivitque vocem: „scribe, quae vides, et ad „septem mitte ecclesias." „Dubium mihi non est," ita Cl. HERINGA, „quin id ipsum, quod evenit vatibus veteribus, similiter acciderit Johanni Apostolo. Varii fuere modi, quibus Deus res arcanas, nominatim futuros rerum eventus patefaceret vatibus, mentis suae interpretibus. In his juvabit ad praesens institutum commemorare, res vigilantium phantasiae per modum ἐκστάσεως objectas. Est autem ἔκστασις proprie dimotio rei alicujus e statu, in quo erat vel esse solebat: ad mentem relata saepius significat grandem aliquam admirationem vel terrorem, quo animus e solida tranquillitate dimovetur, ut Marc. V: 42. XVI: 8. Luc. V: 26. Act. III: 10. Speciatim vero tribuitur menti tan-

topere occupatae rerum magnarum et excellentium contemplatione et imaginatione, ut nulla re alia sensibus objecta afficiatur. Ita in PETRUM ἐπέπεσεν ἔκστασις, Act. X: 10. coll. XI: 5. Ita PAULLUS fuit in ἐκστάσει, c. XXII: 17; atque eam mentis affectionem Johannes expertus fuit, cum esset ἐν πνεύματι Ap. I: 10; cuiusmodi ἔκστασις, ut aliis in causis, iisque naturalibus, non raro fit, ita in legatis divinis saepe locum habuit, quando res arcanae, eaeque mirificae, cum iis communicarentur per imagines, non sensuum instrumentis, videndo, audiendo, tangendo, sed sola imaginandi facultate perceptas. Sic Jes. c. VI, Ezechiël c. I, Daniël c. VII. res coelestes ita mente perceperunt, ac si eas viderent oculis, auribusque audirent, unde etiam vidisse et audivisse dicuntur, quae non nisi imaginandi facultate perceperunt. Carent enim linguae vocibus, quibus hic singularis percipiendi modus significetur: itaque *videndi audiendique* verbis utendum fuit, huic rei propter affinitatem valde aptis. Quid? Quod in omnibus linguis *videndi* notio transire soleat, ad omnem mentis intelligentiam. Ad hunc igitur modum PETRUS de officio suo fuit admonitus, visis per ἔκστασιν omnis generis animantibus ex aperto coelo missis, auditaque voce: Macta Petre! et ede! Act. X. STEPHANUS, Spiritu Sancto plenus, vidit gloriam Dei, Jesumque ad Dei dextram stantem, c. VII: 55, 56. PAULLUS quoque non aliter Christum vidit et audivit in via Damascena, c. IX: 3—6. c. XXII: 6—11. c. XXVI: 13—19. 1 Cor. IX: 1. Horum similia postea saepius fuit expertus, e quibus memorabile prae ceteris est id, quod narrat 2 Cor. XII: 2. Haec igitur

cum acciderint PAULLO, PETRO et STEPHANO, non minus, quam vatibus Israëliticis, nequaquam a persona Johannis Apostoli aliena dicenda erit ejusmodi ἔκστασις, in qua videbatur sibi mox Christum Angelosque videre et audire, mox in coelum translatus, rerumque coelestium spectator et auditor factus; quae vero sic videbat ea imagines erant et symbola rerum cum praeteritarum et praesentium, tum vero maxime futurarum. In his autem imaginibus non paucae erant vere similes iis, quae olim visae fuerunt JESAÏAE, EZECHIËLI, DANIËLI, ZACHARIAE; quo factum est, ut facilius earum significatio intelligeretur ab Johanne; aliae vero singulares fuere et plane novae, maxime in rebus indicandis, quarum similes a priscis vatibus nondum fuerunt patefactae. Aliquando etiam Angeli vox interpretata fuit visa symbolica.

Haec de patefactione divina, quam Johannes descripsit, praemonita, quicunque apud animum reputet, desinet mirari, stilum Apocalypseos magna parte diversum a scribendi genere, quod in Evangelio et Epistolis Johanneis occurrit. Neque enim ingenio Apostoli conficta sunt Symbola prophetica, aut Christi et Angelorum voces; sed ita perscriptae, ut visae ab eo fuerint et auditae. In septem Epistolis, libro praemissis, multa sunt stili Johannei indicia; attamen ea convenientia ex eo orta videtur, quod Apostolus fidelis fuerit Jesu interpres, cum in his Epistolis, tum in Evangelio. Itaque in utroque libro apparet Christi oratio, quam descripsit et ad quam suum finxit stilum Johannes. Nec difficile est causam invenire Hebraismorum, qui in Apocalypsi frequentiores deprehendun-

tur, eaeque duriores, quam alibi in N. T. scriptisque Johanneis. Quae enim Apostolus ἐν ἐκστάσει audivit, ea quin sermone vel Aramaeo vel Hebraeo audita fuerint, vix dubitandum videtur. Cum igitur ea statim describenda essent lingua Graeca, mirum non est, sermonem hunc Graecum Hebraeorum induisse formam ac habitum. Accedit Johannis animus totus rerum coelestium cogitatione occupatus, qui adeo verborum juncturam, ad Grammaticorum leges exactam, parum curaverit."

Johannes ita vocem audivit. Cum se convertisset, septem vidit aurea candelabra, et in horum medio, quemdam Filio hominis similem. (cf. Dan. VII: 13: בר אנש). Messiam conspicit, qui in templo Dei versatur. Induit hic ποδήρη, χιτῶνα, vestem talarem laxamque, ad pedes usque dependentem; ad constringendam vestem ζώνην, cingulum habet, pectori admotum; caput eius capillique albuerunt albae lanae vel nivis instar; flammae similes erant oculi, aeri candenti pedes, eiusque vox tam alte sonebat ut aquarum strepitus. Septem manu tenebat stellas, et bis acutus ex ore eius prodibat gladius; totaque eius externa facies solem referebat, circa meridiem caecanti fulgentem jubare. Quam augusta sit et splendida forma sponte apparet. Vestis talaris indicat regiam majestatem. (cf. Jes. VI: 1. ושוליו מלאים את־ההיכל). Caput candidum ut nix puritatis et sanctitatis est indicium; aes pedum non splendorem, verum robur notat, quo hostes obteruntur; gladius, ex ore prodiens, summae potestatis et judicii est signum. Non mirum profecto, ejus adspectu Johannem moribundum fere collabi. Messias vero, ita eum

alloquitur: „Ne timeas! primus sum et ultimus," ὁ ζῶν, „vivus," (quod itidem de Deo dicitur, idolis opposito mortuis: Joz. III: 10. 2 Reg. XIX: 4); „mortuus fui „et ecce, vivo in omnem aeternitatem. (cf. Dan. XII: 7). „Potestatem habeo orci mortisque. Scribe, quae vidi- „sti, et quae sunt, et quae posthac fient." (Piorum nempe impiorumque futuram conditionem, regnique divini consummationem). „Scribe mysterium, arcanum, „septem stellarum et septem aureos lampades. Septem „stellae sunt ἄγγελοι septem ecclesiarum; septemque „lampades sunt septem ecclesiae."

Lampades indicant ecclesias, quae a Christo lucem acceperunt, et ab eo, in earum medio ambulante, servantur. Quod ad numerum septenarium attinet, notum, symbolicam habuisse quosdam numeros significationem, ita ut numerus septenarius perfectionem rei, cui additur, indicet. Christus inter septem versatur candelabra i. e. ecclesias, cum tamen omnium omnino ecclesiarum curam gerit: septem illi lampades indicant universam Christi ecclesiam. Fuerunt sine dubio aliae in Asia Min. ecclesiae, ad quas epistolas dare potuisset: *Colossa* et *Hierapolis*, (v. Col. IV: 13) forte aliae etiam: ob numerum vero septenarium alias non nominat. Licet septem omnibus bene notae nominentur ecclesiae, (certo de industria illae ipsae nec aliae commemoratae, et ob consuetudinem, quam cum iis Apostolus junxerat, et ob earum indolem), typice tamen numerus septenarius sumatur necesse est. Quid ἄγγελοι illi indicent, dubitatur et sub judice adhuc est lis. Improbanda certe illorum sententia, qui statuunt, sermonem esse de angelis, aut de legato s. nuntio ecclesiae. Praeplacet

illorum opinio, qui hocce vocabulo illum indicari opinantur, qui ecclesiae praeerat, nec illam validis jam argumentis tamquam absurdam ullum refellisse opinor. (cf. IX : 11. XVI : 5). Vulgo dicitur, ἄγγελον tali proponi modo, ut ecclesiae praefectus (fuerit episcopus necne) haberi nequeat: hoc vero, re etiam atque etiam disquisita, videre non possum. Ipse ἄγγελος, ecclesiae qui praeerat, omnino peccatorum, ab ecclesia patratorum, sons haberi potuit, laudisque dignus ob eius fidem et opera: est enim ecclesiae fere anima. Angelum non nisi ipsam esse ecclesiam non dixerim: quodam, etiamsi sit parvum, intercedente discrimine, quod cum ex ipsis patet epistolis, tum e stellarum et lampadum discrimine: arctissimum vero vinculum inter utrosque adesse non est quod dubitemus. Ceterum cf. Eccl. V : 5. Dan. XII : 3. Mal. II : 7. III : 1.

Ecclesiarum autem gubernatores cum stellis comparantur propter doctrinae lucem, qua Christianos collustrant; et Christus eas manu sua tenere dicitur, ut indicetur singularis cura, qua complectatur hos viros, ne quid ipsis mali eveniat. Utrumque e collatione Danielis praeclaram acquirere lucem videtur. Scilicet Dan. VIII : 10 sq. apparet Prophetae parvum cornu, quod excrescat usque ad astra, quorum quaedam dejiciat et conculcet: qua figura notatur Antiochus Epiphanes principes in Ecclesia et Republica viros nonnullos dignitate dejecturus perditurusque, quemadmodum constat, coll. s. 24. Et simile quid occurrit Ap. XII : 3. Deinde autem Dan. XII : 3 promittitur, fore, ut hi viri iidem, qui alios instituerunt, multosque ad pietatem excitarunt, fulgeant ut stellae, atque adeo eodem quasi

loco, quo fuerant dejecti, collocati splendeant. Haec qui consulat, videt facile, quare has stellas supremus coeli Dominus manu sua teneat, ne scilicet quis malignus et alter quasi Antiochus damnum iis afferat.

Septem astra Ecclesiarum septem Angelos, h. e. ministros indicare etiam Cl. HERINGAE est sententia, ita scribentis: „Quaeque Epistola inscribitur τῷ ἀγγέλῳ τῆς ἐκκλησίας h. e. Antistiti Ecclesiae, appellatione ex Judaeorum Synagogis sumta, (conf. Vitringa de Synag. Veteri L. III. p. 2 impr. cap. 2) neque a Prophetarum stilo aliena, (conf. Malach. II : 7. III : 1) aut inepta per se. Attamen, nonnunquam scribitur, tamquam ad plures epistola: ut cap. II : 10. ἐξ ὑμῶν, s. 13. παρ' ὑμῖν, s. 23, s. 24, s. 25. Nata hinc est opinio, pertinere Epistolas non quidem ad unum quemdam cujusque Ecclesiae Antistitem, sed ad plures, quotquot quaevis haberet Ecclesia moderatores. Simplicior tamen eorum videtur sententia, qui statuant, Epistolas primum quidem ad ipsos pertinere moderatores, deinde vero etiam ad Ecclesias, quorum laudentur virtutes, vituperentur naevi, ita tamen, ut non exigua, sive laudis, sive reprehensionis pars ad ipsos pertineat antistites, quorum ad institutionem et exemplum componi soleant coetus. Etenim, ne dicam, in primo mandato capitis I : 11 scribendum fuisse Johanni ipsis coetibus Asiaticis, quos etiam ab initio salutaverat Cap. I : 4, convenit certe huic sententiae singularum conclusio Epistolarum. Adde, optime ita conciliari posse diversitatem sermonis, mox ad unum quemdam, mox ad plures instituti. Accedit esse in his Epistolis quae aegre concilientur, nisi id, quod de antistite dictum

videatur, simul etiam de universa, quam curet, Ecclesia dictum putes, cujusmodi est capitis II: 5, ubi minatur Christus, nisi resipiscant, velle se candelabrum suo movere loco, hoc est, remoto tropo, destruere Ecclesiam; quod tamen malum timendum non esset, nisi his a Conservatore reprehensis vitiis inquinata esset ipsa Ecclesia Ephesina. Non dissimili modo scriptae sunt a Paullo ad *Timotheum* et *Titum* Epistolae, quibus tamen multa insunt, ad coetus, quibus praeerant, pertinentia."

Non difficulter intelligitur, quo consilio, jubente Christo, hae scriptae fuerint Epistolae, libroque huic Apocalyptico praemissae. Quod profecto in eo simpliciter fuit, ut coetibus Asiaticis traderetur et dicaretur scripta haec patefactio; verum ut, primum quidem his coetibus, deinde etiam cunctis libri divini lectoribus, tamquam in imagine proponeretur, quomodo comparatum esse oporteat coetum Christianum, et quemlibet Ecclesiae civem, qui instantem domini nostri adventum certa felicitatis ab ipso consequendae spe exspectare possit; quo sint animo fideles illi Jesu sectatores et ministri, quibus destinata sit summa cum Christo redeunte, gloria, hoc libro descripta; qui contra homines sint illi hostes ac perfidi, quibus graves hoc libro comminatas calamitates impietatisque poenas rediens Christus sit retributurus: atque adeo intelligant omnes, qua eundum sit via ad vitandam perniciem, et ad consequendam felicitatem, utramque illam hoc in libro propositam omnibus. Quem quidem scribendi finem, universae Ecclesiae saluberrimum, quo felicius assequi possit Conservator, facit imprimis horum

coetuum Asiaticorum non uno nomine diversa conditio, qua in aliis aliae sint virtutes, naevi alii. Apparet igitur has Epistolas, quamquam primum datas ad Ecclesias Asiaticas, nihilominus magnam habere vim et utilitatem ad docendos omnis aevi coetus Christianos; ita quidem ut his quoque, in simili conditione positis, similemque agendi rationem sequentibus, eaedem promissiones, eaedemque minae sint propositae, eadem igitur sors praedicta, quae olim his septem coetibus. Hujus igitur rei ratio similis fere est ei, quae locum habet in ceteris Apostolorum Epistolis, ad singulares coetus datis, simul autem universae cujuscunque loci et temporis Ecclesiae perquam utilibus.

Ipsae epistolae tribus constant partibus: titulo, ipsa epistola, conclusione. Post scribendi acceptum mandatum omnes ita exordiuntur: τάδε λέγει, כה אמר, cf. Am. I:3, 6, 9, 10, 13. II:1, 4. III:11. V:3. cet., et semper aliis se indicat verbis Messias, quae cum ecclesiae perfectum in modum congruunt conditione. II:1. 8. 12. 18. III:1. 7. 14. — In secunda parte dicit Messias, se omnia scire, quae ecclesia agit, et sequuntur vituperia, laudes, miseriarum indicia, exhortationes, solatium, comminatio, utut singulae indigeant ecclesiae: II:2—6, 9—10, 19—25. III:1—4, 8—11. 15—20. — Conclusio bifariam est lateque patens: et ita ordinata, ut septem epistolas in tres et quatuor dividat: in tribus enim prioribus praecedit monitum: ὁ ἔχων οὖς ἀκ cet., et sequitur promissum, iis datum, qui vincant: II:7, 11, 17; in quatuor vero posterioribus antecedit promissum et monitum sequitur, quod procul dubio consulto factum: II:29. III:6, 13,

22. [1]). Quod ad epistolarum ordinem, ab Epheso, Asiae Proconsularis metropoli, Patmo proxima, orsus, per septentrionem et orientem meridiem versus se contulit auctor.

Ima. EPISTOLA. (II : 1—7).

Ad Ephesinam ecclesiam.

Ephesus, lumen Asiae, prope mare Aegeum ad Caïstrum fluvium in Jonia sita erat. Ab apostolo Paullo in secundo ejus itinere, Evangelium acceperat, qui per tres annos, nocte et interdiu, homines in ea habitantes urbe ad Christum convertere monitis lacrymisque conatus erat. Dianae templum, quod in ea videbatur urbe, 127 columnis, quae 60 pedum altitudinem habebant, cingebatur, et cum ab Herostrato, ut nomen aevum perduraret, incendio esset deletum, maius etiam et magnificentius e cinere resurrexit. Multi Judaci sedem Ephesi fixerant. Cum iis primum Paullus verba fecit: Act. XVIII : 19. XIX : 1 sqq. Hierosolyma proficiscens ecclesiae πρεσβυτέρους arcessivit, qui animo perturbato et commoto eum audierunt, eos valere jubentem. Act. XX : 17 sqq. Postea in epistola priore ad Timotheum, huncce hortatus est ut Ephesi maneret,

---

1) Plura ejusdem generis monuit Bengel, quae vero aut falsa aut incerta sunt. Sic facetius quam verius animadvertit monitum: ὁ ἔχων οὖς κτέ. dividi posse in 3 et 7, et hace iterum in 4 et 3 verba: ὁ ἔχων οὖς — ἀκουσάτω τί τὸ πνεῦμα — λέγει ταῖς ἐκκλησίαις. Dijudiect, qui rem tenet.

et in fide Christiani ut manerent operam impenderet. Post Paulli mortem Johannes Ephesi sedem fixit, ut eius susciperet operam. In Apocalypsi nobis servata ejus epistola ad Ephesios. Peregrinans hodie in Asia Minori splendidam frustra quaerit et magnificam urbem: est deserta regio, et haud procul a loco, ubi olim Ephesus exstabat, nunc est pagus *Ajah-Soluk*, in quo nomine Apostoli Johannis memoria servata est, cum ductum est ab: ἅγιος θεόλογος, ut Johannes nominabatur. Quindecim ferme constat casis, et perpauci ibi degunt Graeci Christiani, qui tamen Apostoli Paulli nomen vix aut ne vix quidem audierunt. Ipsae Ephesi ruinae parum absunt, et prope montem, *Prion* dictum, inveniuntur.

1. Τάδε λέγει ὁ κρατῶν τοὺς ἑπτὰ ἀστέρας ἐν τῇ δεξιᾷ αὐτοῦ, haec dicit, qui dextra tenet septem stellas. Supra I: 16 tantum dicitur ἔχων: h. l. κρατῶν, firmiter tenere, ita ut habeat potestatem eas servandi easque perdendi, v. II: 25. III: 11. Ὁ περιπατῶν ἐμμέσῳ τῶν ἑπτὰ λυχνιῶν τῶν χρυσέων, qui ambulat. Quum Johannes primum Messiam videret (I: 13) versabatur in lampadum medio. Ne rem ita nobis fingamus, ac si semper ambularet Messias, neque cogitemus de loco, accurate ἐμμέσῳ τ. λ. χ.: Christus inter septem erat lampades, et quidem ita, ut, fere περιπατῶν, semper earum curam gerat. Christus suae ecclesiae semper consulit, et paratus est ad auxilium ferendum, si oportet, ad puniendum. Quae descriptio omnino convenit epistolae, cum sequentibus unam fere efficiens, et optime congruens cum comminatione s. 5.

2. Οἶδα τὰ ἔργα σου. Magis generale dicitur: scio

quidquis agis, tam bona, quam mala. Duo laudantur: τὸν κόπον καὶ τὴν ὑπομονήν σου, et ὅτι οὐ δύνῃ βαστάσαι κακούς. Cum pronomen του posteriori tantum jungatur vocabulo, nec priori addatur, haec verba arctissime cohaerere apparet: κόπος et ὑπομονή: ἓν διὰ δυοῖν vero non est, ut Grotius voluit. Κόπος, labor: fides eorum non irrita fuit, sed fructus tulit, et cum Christo nomen et cor dederant, in fide permanentes, non segnes pigrique fuerant, verum fortiter ea egerant, quae Christi decet discipulos. Nec laborem tantum impenderant, ὑπομονὴν etiam, patientem constantiam, sese habere ostenderant. Σπουδὴν πᾶσαν παρεισενέγκαντες ἐν τῇ πίστει ἀρετὴν καὶ ὑπομονὴν addiderunt. Si illa patientia iis jam opus erat in certamine contra mundum, magis etiam ob gravissimas vexationes, quibus in urbe, ob morum pravitatem tristem nacta famam, a Christi inimicis, afficiebantur. Καὶ ὅτι οὐ δύνῃ β. κ. De forma δύνῃ cf. Winer Gr. ed. 6, p. 70. Βαστάζω de gravi dicitur onere. 2 Reg. XVIII: 14 שוב מעלי את אשר־ תתן עלי אשא; οἱ ὁ: ἀποστράφηθι ἀπ' ἐμοῦ· ὃ ἐὰν ἐπιθῇς ἐπ' ἐμὲ, βαστάσω, Mt. XX: 12: ἴσους ἡμῖν αὐτοὺς ἐποίησας τοῖς βαστάσασιν τὸ βάρος τῆς ἡμέρας καὶ τὸν καύσωνα. Act. XV: 28, al. Κακοὶ, oppositi Christianis, mali homines, Christi adversarii. Quinam fuerint partim ex s. 6 patet. Hosce tolerare nequis, et illos, λέγοντας ἑαυτοὺς ἀποστόλους εἶναι ἐπείρασας, tentasti. Dicebant, se esse apostolos, se a Christo esse missos; instituto vero examine apparuit, ὅτι οὐκ εἰσὶν et εὗρες αὐτοὺς ψευδεῖς. Fuerunt λύκοι, μὴ φειδόμενοι τοῦ ποιμνίου, et viri λαλοῦντες διεστραμμένα τοῦ ἀποσπᾶν τοὺς μαθητὰς ὀπίσω αὐτῶν; eos vero, quales essent, ex ope-

ribus mox discipuli agnoverunt. In hac laudatione elegans est ἀντανάκλασις, in: κόπον σου et οὐ κεκοπίακες et ὅτι οὐ δύνῃ βαστάσαι et ἐβάστασας. Secundum cl. HERINGA, quinam illi falsi Doctores fuerint, non definiri potest.

3. S. arcte cohaeret cum praecedenti: καὶ ὑπομονὴν ἔχεις, patientiam habes, καὶ ἐβάστασας διὰ τὸ ὄνομά μου. Ferre nequis malos, tulisti vero miserias propter meum nomen, quia Christiani estis et fidem servare studetis. Οὐ κεκοπίακες, defatigatus non es, cf. Joh. IV : 6. Κόπος et ὑπομονή, quorum tibi laus debetur, minime id effecerunt, ut defatigatione succumberes. Est igitur duplex Ephesinae ecclesiae laus: sedula fuit patiensque et pura mansit. Haec omnia de priore valere conditione, quia, si de praesenti intelliguntur, ss. 4 et 5 explicari vix possunt, non probanda videtur sententia. Obstant jam δύνῃ et ἔχεις, Praes. et quae s. 2, 3, 6, in Ephesinae ecclesiae laudem dicuntur locum habere poterant, etiamsi primi amoris jam evanuisset ardor.

4. Ἀλλὰ, jam non laus, sed vituperium auditur, ἔχω κατὰ σοῦ, ὅτι τὴν ἀγάπην σου τὴν πρώτην ἀφῆκες, cf. Mt. V : 23: si prius reconciliare se oportet cum fratre, qui quidquam contra te habet, antequam donum Deo offeras, multo magis certe Dominus audiendus, cum affirmat: κατὰ σοῦ ἔχω. Primum dereliquit, amisit amorem. Ubi autem hic deficit, ibi deficiunt τὰ πρῶτα ἔργα, ibi opus est μετανοίᾳ, ibi veritatis amor in sectae studium abit, veri studiosi in contrarios ruunt errores et in quaevis scelera. Primus amor, non prior, cf. s. 19, est amor, quem concepit dum Christus ei denuntiaretur: Jer. II : 2: כה אמר יהוה זכרתי לך חסד

נעוריך אהבת כלולתיך: amor, ex fide oriundus, erga Christum. Hicce amor arctissime junctus est cum amore fraterno, 1 Joh. IV : 20, ita ut, illo sublato, hicce evanescat. Amor erga pauperes (Grotius, Ewald) h. l. non indicatur, cum magis generale sit dictum. Et de amore erga falsos doctores (Eichhorn,) sermonem nequaquam esse posse, demonstrat s. 6.

5. Arcte cum praecedenti jungitur. Μνημόνευε οὖν πόθεν πέπτωκας, recordare igitur unde ceciderís. Non dicitur, recordare loci, de quo es delapsus, verum memor sis, quam magnus et stupendus tuus sit lapsus. Additur resipiscentiae adhortatio: μετανόησον καὶ τὰ πρῶτα ἔργα ποίησον. Debet cogitare unde delapsus sit, et hac ipsa re impelli, ut conetur, primam illam recuperare conditionem factaque prima facere. Εἰ δὲ μή, scil. μετανοεῖς, ἔρχομαί σοι, καὶ κινήσω τὴν λυχνίαν σου ἐκ τοῦ τόπου αὐτῆς, ἐὰν μὴ μετανοήσῃς. De subaudito μετανοεῖς cf. Winer, p. 515: de protasi post apodosin repetita, ita ut duplex videatur apodosis, p. 479, 539. Si non resipiscis ἔρχομαί σοι: est Dat. incomm. Non est, quod citentur Mt. XXI : 2, Hebr. X : 34, ubi pron. propriam suam habet significationem et omitti non potest, cf. Winer p. 140 sq. Mt. XXI : 5 et s. 16. Non ἐλεύσομαι, sed ἔρχομαι, res certissima. Recte Bengel: „Tanta constantia verbum ἔρχομαι in praesenti ponitur, ut etiam subsequente futuro maneat: ἔρχομαι καὶ κινήσω; ἔρχομαι καὶ πολεμήσω s. 16." Vide etiam Joh. XIV : 3. Hoc loco non de ultimo Messiae adventu cogitandum, verum de judicio singulari in Ephesinam ecclesiam. Ultimus Christi adventus, qui totius Apocalypseos est finis, et etiam II : 25, III : 11 indicari videtur, ad

omnes attinet; h. l. Messiae adventus ad Ephesios tantum attinet pendetque ab sequenti eorum agendi ratione. Si ad primum redit amorem, novum conquiret laudis fundamentum: si vero non resipiscens pertinaciter agit, Dominus adveniens, κινήσει, removebit candelabrum ejus de suo loco. En terribilis et certus eius perversae agendi rationis exitus: candelabrum removebitur, ecclesia Christiana non amplius Ephesi erit: efficiet Christus ut ecclesiam esse desinat. Improbanda Grotii sententia: efficiam ut plebs tua alio diffugiat, ubi major habetur cura pauperum, cum λυχνία non sit plebs; Ewaldi: gratiam meam tibi detraham; aliorum: tollam a te, episcopo, ecclesiam, ne illi ultra praesideas. Λυχνίαι sunt ecclesiae, et remoto candelabro, tollitur ecclesia. Verba luce sunt clariora.

6. Christus, ac si timeret, ne nimis magna afficerentur propter objurgationem iis factam tristitia, mox denuo laudans eos compellat. Ita etiam cl. HERINGA. Non tantum quod vituperandum, optime etiam, quod laudandum est perspicit et commemorat: ἀλλὰ τοῦτο ἔχεις, ὅτι μισεῖς τὰ ἔργα τῶν Νικολαϊτῶν, ἃ κἀγὼ μισῶ. Hoc habes, non: boni, quod per se patet, verum simpliciter: hoc habes quod odisti: non hoc est: improbare, (de Wette) verum toto suo ambitu totaque vi τὸ μισεῖν est accipiendum; cf. Ps. CXXXIX: 21 sq. הלוא־משנאיך יהוה אשנא .... תכלית שנאה שנאתים לאויבים היו לי. Est vero odium in facta, non in homines. Facta odio prosequitur ecclesia, et quo majus est odium, eo majores conatus, homines a perversa et exitiosa, in qua versantur, via reducendi et ad Christum perducendi. Nicolaïtae, quinam fuerint, disputatur, dum

alii statuunt Nicolaum diaconum (Act. VI: 5) eius sectae fuisse conditorem, alii, nomen respondere Bileamitarum nomini. Traditio priori favere videtur sententiae: sed haec ipsa parum sibi constat, habetque quae in Nicolai diaconi laudem dicat: quosdam homines serius vocem, δεῖν παραχρῆσθαι τῇ σαρκί, qua Nicolaus usus sit, ad suas impuras nequitias detorsisse. Forte ex ipso nostro loco orta est. Verosimile nomen: Nicolaitae (νικάω, λαός) refert Hebr. vocem: Bileamitae. (בלע עם qui perdit, vicit populum). Utrum ipse Apocalypseos auctor primus hoc nomine usus sit, an exstiterit jam antea, certo dijudicare non licet. Haec etiam cl. HERINGA est sententia, qui hoc vero admodum esse simile existimat, Nicolaitas, quos hoc loco, item sect. 15. commemorat Christus, eosdem esse, quos sect. 14 dicit κρατοῦντας τὴν διδαχὴν Βαλαάμ, et quos tamquam Bileami vestigiis insistentes describunt Petrus, in 2 Ep. cap. II: 15 et Judas s. 11. Hi vero profani videntur fuisse homines, qui, cum ipsi flagitiis essent dediti, in ejusdem criminis societatem quoque trahere anniterentur Christi cultores; imprimis quoque eos invitando ad epulas, in honorem Deastrorum institutas, quibus vesci solerent carnibus, Diis immolatis, et venereis indulgere libidinibus. Simili autem modo ac hoc loco nomina Hebraea et Graeca aequipollentia permutantur in Apocalypsi et junguntur, ut: Ἀβαδδών et Ἀπολλύων. c. XI: 11. Σατανᾶς et Διάβολος. c. XII: 9. XX: 2. Conf. c. I: 7. III: 14. Videntur Nicolaïtae haud ita procul distare ab iis, qui s. 2 commemorati sunt. Ne dicat quis, meram tunc fore tautologiam: memor sit, s. 4 reprehensam esse ecclesiam, et nunc,

etiamsi quid contra illam habeat Dominus, id laudis illi debetur, ut jam supra dixerat: eosdem odit, quos Dominus, malos tolerare nequit: omisit primum amorem, hac vero in re consentit cum Christo. Illud nomen: *κακοὶ* certe latius patet quam hoc Nicolaïtarum: verum hi inter *κακοὺς* ponendi. Etiam Nicolaïtae semet ipsos tamquam apostolos indicari potuere, si, Paullinae libertatis fautores, vel potius ea abutentes, aeque ac ille, apostolos se esse gloriabantur.

7. *Ὁ ἔχων οὖς ἀκουσάτω.* Non indicat sing. *οὖς* aurem spiritualem, sed idem ac *ὦτα.* Mt. XI: 25. Mr. IV: 9. Lc. VIII: 8. Mt. VI: 22. Est formula, quae omnium postulat attentionem. *Ἀκουσάτω*, secundum Züllig: audierit, i. e. quod audiit, sequatur. Non recte: propria aor. imp. haec est vis: ponitur, quum de facto quodam sermo est, quod mox finitur vel ad quod faciendum consilium mox iniri debet. Mr. I: 44. *σεαυτὸν δεῖξον τῷ ἱερεῖ.* III: 5. *ἔκτεινον τὴν χεῖρά σου.* Act. XXIII: 23. *ἑτοιμάσατε στρατιώτας διακοσίους.* Ad factum quoddam indicandum, quod statim peragi debet, nonnumquam additur *νῦν*: Act. X: 5. *καὶ νῦν πέμψον ἄνδρας.* Imper. praes. vero haec est vis: locus ei est in factis, quae jam initium ceperunt, quae per aliquod durant tempus: de legibus igitur et statutis ubi sermo fit: Rom. XI: 20. *μὴ ὑψηλοφρόνει.* XII: 20. *ἐὰν πεινᾷ ὁ ἐχθρός σου, ψώμιζε αὐτόν.* Imp. praes. magis consilium exprimit, aor. magis urgens et fortior est. Ex hisce etiam aor. imp. nostro loco explicandus. Heringa: „*ἀκουσάτω*, num„quam occurrit in Evangelio Johanneo, unde patet, „illum Jesu orationes non finxisse, sed ex convenientia „animi sui et Jesu locutum fuisse." Audiat ergo *τί τὸ*

πνεῦμα λέγει ταῖς ἐκκλησίαις, quid dicat Spiritus s. (I: 4), qui Johannem corripuit et prophetam reddidit. Spiritus s. est spiritus Christi; illius etiam hujus sunt verba. HERINGA: „Numquam Christus se ipse τὸ πνεῦμα di„xit; sed quoniam Spiritu erat plenus (Matth. III: 17. „Luc. IV: 1) Spiritus loqui dici potest. Posses etiam „ita explicare, ut Johannes, quae Jesu nomine scriberet, „notaret Spiritu ductus. Prius malo." Jam in universum dicitur: ecclesiis, non ecclesiae: ad omnes omnino hocce monitum spectat ecclesias. Et non tantum haecce epistola, verum totus etiam liber, quia verba continet Spiritus, cognosci debet ab omnibus. Τῷ νικοῦντι, illi, qui vincat; nil aliud hoc verbum significat, et puri, pii prorsus abest sensus. Indicat victorem, periculis et mundi illecebris non succumbentem. Qui haec audit, iisque obtemperat, vincet. (I: 3.) Vita humana saepius sub pugnae imagine proponitur, in qua Christi tantum discipulus, Servatoris potentia, victor evadere possit. Sic jam Job. VII: 1: הלא־צבא לאנוש על־ארץ. Eph. VI: 12. Phil. I: 30. 1 Tim. VI: 12. 2 Tim. IV: 7. Tali victori, ad finem usque perseveranti, (Mt. XXIV: 13) δώσω φαγεῖν, concedam ut edat ἐκ τοῦ ξύλου τῆς ζωῆς, ὅ ἐστιν ἐν τῷ παραδείσῳ τοῦ θεοῦ μου, de arbore vitae. Non de Evangelio, nec de Spiritu sancto, nec de Christo cogitandum, verum imago est arboris vitae, quae in Paradiso aderat (Gen. II: 3 עץ, ξύλον.) cf. XXII: 2, quae fructus dabit novorum Hierosolymorum incolis. Illa arbor in paradiso est (Lc. XXIII: 42. 2 Cor. XII: 4.) Dei. Christus, qui suos discipulos victores reddit, etiam gloriam suam cum iis participat, cum ipse, eodem in throno ac Deus pater considens, victoribus, quod pro-

misit, tradit praemium, vitam aeternam. 1 Joh. II:25. T. *ὁ. μου.* cf. III:2, 12. Joh. XX:17. Quod ad nomen, mysticum quidam illi tribuerunt sensum, ἔφεσος ductum putantes ab *ἐφίημι*, inmitto, manum applico. Johannes certam sibi cognitarum ante oculos habet ecclesiarum conditionem, qua re haec, et alia, quae de ecclesiarum nomine in medio proferuntur, mittamus.

II^da. Epistola. (II:8—11.)

Ad Smyrnaeam ecclesiam.

Smyrna, duodeviginti horas ab Epheso distans, magnifica et ob commercium, quod ibi cum aliis erat, celebris urbs erat, quae gloriabatur Homerum intra suos muros primam intuitum esse lucem. Unde et a quonam Christi notitiam acceperit non liquet, fortasse ab Apostolo Paullo, quum Ephesi versaretur. Etiam nunc splendida est urbs, eundemque tenet locum quem olim. Unica e septem est urbibus, quae adhuc viget, habetque nomen *Ismir*. Plus 30000 ibi habitant Christianorum.

8. *Καὶ τῷ ἀγγέλῳ τῆς ἐν Σμύρνῃ ἐκκλησίας γράψον.* Putarunt nonnulli h. l. Polycarpum innui hujusque opera esse factum, ut ecclesia Smyrnaea nullum a Domino acciperet vituperium. Conjectura est, quae probari vix poterit, cuique chronologia obstat. *Τάδε λέγει ὁ πρῶτος καὶ ὁ ἔσχατος, ὃς ἐγένετο νεκρὸς καὶ ἔζησεν.* Haec dicit primus et ultimus. cf. I:17. 18. Jes. XLVIII:12. אני ראשון אף אני אחרון: I:8. *ἐγώ εἰμι τὸ ἄλφα καὶ*

τὸ ὦ. Indicatur igitur ab aeterno Christum fuisse, ad aeternum eum mansurum acque ac Pater. Mortuus fuerat et reviviscit. Indicat Jesus suam de morte resurrectionem, quae Smyrnaeae ecclesiae solamini et spei esse debebat. Mortem non timere debebant: Dominus enim, qui mortem vicit, etiam eos in vitam revocandi habet potestatem.

9. Οἶδά σου τὴν θλῖψιν καὶ τὴν πτωχείαν. De pronomine σου ante duo nomina cf. Joh. XI:48. Act. XXI: 11. Lc. XII: 35. Ap. II: 19. Si arctius haec nomina conjunguntur postponitur pronomen, ut s. 2. Nisi pronomen praecedat repetitur ut Act. IV: 28. Novi afflictionem et paupertatem tuam. Sermo non est de operibus, sed de iis, quae perpessa est ecclesia. Oppressio, generale dictum; paupertas, secundum de Wette, ex illa oppressione orta. Potest fieri ut ita sit: sed melius tunc pronomen pone ultimum positum esset substantivum, et nude ponuntur θλ., πτ., βλασφημία. Hengstenberg putat respici ad Jac. II: 5—7 et dicit: Judaei accusabant Christianos, et pecunia data judices sibi habebant faventes, quo Christiani in magnas venerunt miserias, quae quam minime improbanda est sententia. Vid. et Mt. VI: 29. Lc. XII: 21. 33. 2 Cor. VI: 10. VIII: 2. 9. 1 Tim. VI: 6, 17, 18. Ἀλλὰ πλούσιος εἶ, dives vero es. Etiamsi terrestribus eges opibus, thesaurum in coelo te habere gaudere potes. H. l. respici ad Polycarpum (dives fructibus) perperam nonnulli censuerunt. Cf. III: 18. Mt. VI: 20. 1 Cor. I: 5. 2 Cor. VI: 10. VIII: 9. Καὶ τὴν βλασφημίαν ἐκ τῶν λεγόντων Ἰουδαίους εἶναι ἑαυτοὺς, καὶ οὐκ εἰσὶν, ἀλλὰ συναγωγὴ τοῦ σατανᾶ. Et falsam criminationem eorum qui

perhibent se Judaeos esse. Βλασφημία de quavis criminatione falsa, qua quis infamatur, adhibetur: vid. Matth. XV:19. Eph. IV:31. Col. III:8. 1 Tim. VI:4; alibi de eo, qui impie contra Deum loquitur, Ap. XIII: 1. 5. XVII:3. Hujus rei multa habemus exempla: Act. VI:14. XIII:20. XIV:2. 5. 19. 1 Thess. II:14 sqq. 1 Tim. I:13. Hoc loco est criminatio falsa contra christianos. Nihil enim non impium illis objiciebant Judaei, secundum cl. HERINGA maxime hoc, quod, deserta veteri religione, omnem respuerent religionem ac pietatem. Judaei igitur gentiles in Christianis persequendis adjuvasse videntur, accusantes et calumniantes invisi Nazareni asseclas. (Act. XVII:5, 6.) Eusebius nobis tradit, etiam cum Polycarpus moreretur, Judaeos implacabili odio Smyrnaeos Christianos persecutos esse, et impedire conatos esse, quominus Polycarpi cadaver iis traderetur. Ἐκ fontem indicat, e quo βλασφημία oritur. Joh. III:25. Dicebant isti, se esse Judaeos (יהודה, laudandum populum), et Abrahami progeniem; non vero sunt, cf. Rom. II:28 sq. IX:6. (לא אמי), sunt Satanae coetus. Dum gloriabantur se esse קהל יהוה, בני ישראל, Satanae erant asseclae, (v. Joh. VIII:41 sqq.) qui Dei Christique est adversarius et regnum coelorum perdere conatur.

10. Θλίψιν jam perpessa erat ecclesia, instabant etiam majora: verum μηδὲν, inquit Dominus, Φοβοῦ ἃ μέλλεις πάσχειν. Nihil timeas eorum, quae perpetieris. Φυλακὴ, carceres quosdam manebant ex illis; ἐξ ὑμῶν scil. τινες; cf. Joh. XVI:17. 2 Tim. III:6. 2 Joh. 4. Cogitandum de gentilibus, qui βλασφημίᾳ facta, eos in carcerem conjecturi erant. Dicitur διάβολος hoc

facturus, (nomen Gr. ut. s. 9 Hebr.); Christi hostis, qui hominibus ad sua consilia impetranda utitur, Joh. XIII : 27. Hoc fiet ἵνα πειρασθῆτε, non ut fidem tuam inter maxima pericula probare, eoque consummatam virtutem monstrare possis, verum ut, fieri si posset, a Domino avellare. Tentatio, moderante Deo, instituetur a diabolo. (cf. III : 10). Per breve tantum tempus illa θλίψις durabit: decem dierum spatium tam miseriarum indicat brevitatem, quam praesertim hoc, quae mox sequerentur a Deo esse definita. Praeter Dei voluntatem nil fit. Züllig ad Josephi, in carcerem conjecti, historiam (Gen. XL) h. l. alludi false opinatur. Somniarunt de decem diebus, de decem annis, de decem Chr. persecutionibus, de decalogo, cet. Si eum, qui animam una cum corpore perdere potest, amicum haberent, quid illi metuendi, qui corpus tantum necare poterant? Γίνου πιστὸς ἄχρι θανάτου, fidus usque ad mortem fias (non ἴσθι) in sequenti angustia, ita ut ne mortem quidem timeas. Act. XXII : 4. Indicatur fidei altitudo, non longitudo. Sequi eos oportet Christi exemplum, Phil. II : 8; quo facto, καὶ, si ita fidus manseris: est fortius quam si scripsisset: πιστὸς γενομένος, cf. Luc. X : 28. Mt. VII : 7. Jac. IV : 7. Luc. XI : 9; quo facto τὸν στέφανον τῆς ζωῆς tibi dabo. Vitae corona idem ac vita, beatitudo aeterna, 2 Tim. IV : 8. 1 Petr. V : 4. Jac. I : 12.

11. Ὁ ἔχων κτέ. Ὁ νικῶν οὐ μὴ ἀδικηθῇ ἐκ τοῦ θανάτου τοῦ δευτέρου. Qui vincit, a secunda morte, quae describitur c. XX : 6, 14. XXI : 8, non laedetur. Οὐ μὴ, quod nullo omnino modo fiet; est negatio fortior. cf. III : 3. Winer, p. 449, sqq. 454. Ἀδικεῖσθαι ut VI : 6.

VII : 2 sq. al. Ἐκ, tamquam fons τοῦ ἀδ. cf. VIII : 11. Altera mors est aeterna post mortem damnatio; v. Mt. X : 28. Mr. IX : 43 sqq. Smyrnaea ecclesia exemplum praebet fidei, quae omnia perpeti audet. Putarunt nonnulli mysticam nomen: Σμύρνα habere significationem: synonymum illud habuerunt τῷ: μύῤῥα. Myrrha in Palaestina et Arabia obvia ad unguendos inserviebat defunctos, et inter odores habebatur. Sic Vitringa: „Myrrha itaque nobis hic symbolice figurat graviores ecclesiae afflictiones, amaras quidem et ingratas carni πρὸς τὸ παρὸν, sed ex quibus fructus provenit vere salutaris. Solet enim eas Deus sua providentia ecclesiae immittere, ut electos et electorum fidem praeservet a corruptione cet. Ingeniose certe inventum, sed habendum inter commenta.

III^{a}. Epistola. (II : 12—17.)

Ad Pergamenam ecclesiam.

Pergamus, fere 25 horas a Smyrna distans, metropolis Mysiae, et regum Attalicorum quondam sedes, ad flavium Caïcum sita erat, in planitie, altis montibus ad orientem cincta. Regnum Pergami, a^{c}. 283 conditum a Philetaero, imprimis Attali I opera in altum gloriae gradum evectum est. Non minus Aesculapii templo, quam charta, quae ab ea nomen Pergamenae duxit et immensa bibliotheca nobilis fuit urbs. A°. 133 a postremo rege, Attalo III, Romanis testamento tradita est una cum circumjacente regione. Bi-

bliotheca praeclara ab Antonio, ut Cleopatrae donaretur, Alexandriam translata est. Medicus Galenus ibi erat natus et Aesculapii templum, ibi exstructum, asylo erat [1]). Quomodo Evangelium eo pervenerit nos latet. Hodie ruinae tantum supersunt prope urbem, nunc *Bergamo* dictam, quae plura continet Christianorum millia [2]).

12. Τάδε λέγει ὁ ἔχων τὴν ῥομφαίαν τὴν δίστομον τὴν ὀξεῖαν. Ἀσυνδέτως. Gladius bipennis, acutus, (cf. I : 16) quo adversarios trucidat. Est verbum Christi omnipotens, v. Jes. XI : 4. XLIX : 2. Hebr. IV : 12. Omnino hicce titulus convenit cum s. 16.

13. Οἶδα ποῦ κατοικεῖς· ὅπου ὁ θρόνος τοῦ σατανᾶ. Novi, ubi habites, ibi nempe habitas, ubi Satanae est thronus. Ὅπου etc. est explicatio et fere responsum, datum τῷ: ποῦ κατ. Hoc ecclesiae laudi est: fida mansit, etiamsi in ea degeret urbe, ubi sedem fixerat Satanas. Ita alludi ad Aesculapii, serpentis vel dracontis symbolo repraesentati, cultum et templum, vix credo: Ephesus non minus Christianae fidei adversa erat Dianae cultu, quam Pergamus Aesculapii; neque hoc dicitur, quia magistratus Romanus Pergami tribunal habuit [3]): aliae enim etiam Asiae urbes id habebant, verum ob ecclesiae persecutionem dictum puto, ex gentilium ortam fanatismo. Ut s. 9, 10, sic quoque hic Satanas vexationum, quibus Christiani Pergameni afficiebantur, ha-

---

1) Cf. Tac. Ann. III. 63. Consules ..... apud Pergamum Aesculapii compertum asylum, retulerunt. V. Plinius H. N. V, 33.

2) Cf. Choiseuil Gouffier, Voyage pittoresque de la Grèce, 1809.

3) Plin. H. N. V, 33: Pergamena vocatur ejus tractus jurisdictio: ad eum conveniunt Thyatireni, Mygdones ..... aliaeque inhonorae civitates.

betur reus; ad necem usque eos persecutus est, merito igitur ibi sedem fixisse thronumque collocasse dici poterat [1]). Καὶ κρατεῖς τὸ ὄνομά μου, et tenes nomen meum. Nomen Christi amplectitur ipsam Christi personam, et nomen illud tenetur (II : 3, III : 8,) constanti Servatoris confessione. Christianos se esse profitebantur, etiam tunc (κρατεῖς). Καὶ οὐκ ἠρνήσω τὴν πίστιν μου, οὐκ ἐν ταῖς ἡμέραις, αἷς Ἀντίπας, ὁ μάρτυς μου ὁ πιστὸς, ὃς ἀπεκτάνθη παρ' ὑμῖν. Et fidem meam non denegasti; est Gen. obj., fides, Christo habita: Mr. XI : 22. Rom. III : 22. Gal. II : 16. III : 22. Eph. III : 12. Phil. III : 9. Jac. II : 1. Apoc. XIV : 12; ne illis quidem diebus, quibus Antipas, fidus meus testis, qui apud vos interfectus est. Οὐκ ἐν τ. ἡ. indicat, tunc eos ansam habuisse Christum denegandi, verum ne id temporis quidem id fecerunt. Multam operam impenderunt in hacce extricanda sententia viri docti, quam hic referre longum est. Simpliciter ἦν intelligendum videtur, quod centies omittitur: ὃς omnino retinendum ob lectionis duritiem. Varia de Antipa narrant: eum Domitiano imp. occisum ajunt Menologia; Martyrologia, eum in taurum aeneum fuisse conjectum ardentem: historia vero nil certi de illo novit, quod non mirandum, cum tot millium

---

1) Züllig, ita verba nostra interpretatus est: Proprie Pergami non erat Satanae thronus, verum ibi sita erat, ubi eius erat thronus, i. e. versus septentrionem; nam traditio fert Judaeorum septentrionem versus satanam habitare, et Johannes nunc dicit eum Pergami, i. e. in ea ex septem urbibus, quae septentrioni est proxima, thronum habere. (Sein Hauptquartier.) Sapienti sat.

martyrum perpauca tantum ad nos pervenerint nomina, et Antipas, Pergamenis quidem notus, in universa vero ecclesia non adeo insignem tenuerit locum. Hengstenberg nomine Antipa Timotheum indicari autumat: ἀντὶ-πᾶς, (adversus quemque): quum Deum colere nemo possit nisi opponat se mundo: qui igitur Deum colit: Τιμόθεος, est Ἀντίπας, qui ergo Timotheus Pergami martyrium subiit.[1]) Nec majoris momenti derivatio ab: ἀντὶ πάπα, nec illa: Ἀντίπας = Ἀντίπατρος = ἰσόπατρος = ὁμοούσιος = Athanasii doctrina. Antipas simpliciter contractum ex Ἀντίπατρος, ut Κλεόπας ex Κλεόπατρος, Luc. XXIV: 18, cf. Winer, p. 93. Ὅπου ὁ σατανᾶς κατοικεῖ, apud vos, ubi Satanas habitat. Quae vis insit his paucis verbis, si attendes, intelliges.

14. Ἀλλὰ ἔχω κατὰ σοῦ ὀλίγα. Pauca vero contra te habeo. Ὀλίγα notionem universalem habet: v. Winer p. 158. Non totam ecclesiam, falsa inquinatam doctrina, reprehendit Christus: contra illam habet, quod tales falsi doctores ibi versabantur, quos monere omiserat: ἔχεις ἐκεῖ, in ea urbe, ubi fides non denegabatur, ne dirissima quidem vexatione, κρατοῦντας τὴν διδαχὴν Βαλαάμ, quod igitur eo magis improbandum, ὃς ἐδίδασκεν τῷ Βαλὰκ βαλεῖν σκάνδαλον ἐνώπιον τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ καὶ φαγεῖν εἰδωλόθυτα καὶ πορνεῦσαι. Habes ibi, qui tenent doctrinam Balaäm, qui Balak docuit, offendiculum Israëlitis objicere. Κρατεῖν, cf. s. 15 et 13. Bileam Balak suasit, ut Israëlitas ad epulas, Baäl-Peor sacratas, comedendas vocaret, quae scor-

---

1) Eadem ratione Olshausen nomen: Christophori Columbi invenit in nomine: Justini Mart.

tationi junctae erant: de ejus historia cf. Num. XXII—XXV. Διδαχὴ B. non quidem, ut Nicolaïtarum, doctrina fuit, sed consilium potius, διδ. vero recte, sequente ἐδίδασκεν τῷ B. Consilium ei dedit, offendiculum iis objicere. Διδ. ceterum cum duobus Acc. construitur, cf. Joh. XIV: 26: διδάξει ὑμᾶς πάντα; cf. etiam Job XXI: 22: למד ל, (οἱ ὁ: Acc. rei,) et Winer, p. 203. Βαλ. σκ: נתן מכשל, v. Lev. XIX: 14. 1 Sam. XXV: 31. Ps. CXIX: 165. Jes. VIII: 14. LVII: 14. Rom. XIV: 13; objicere al. impedimentum, quo haereat et a via aberret (Jac. II: 10). Suasit Balak, ut pelliceret Israëlitas ad φαγ. εἰδ. κ. πορν. Illi igitur, quos ante oculos habebat Messias, idolorum sacrificiis vesci scortarique suaserunt Christianis. Paullus eos jam novit: 1 Cor. X. Imprimis haec doctrina propria Gnosticis, qui liberam mentem nulla inquinari posse re statuebant. Eusebius (4, 7.) de Basilide narrat, eum docuisse, nihil prorsus referre idolorum vesci sacrificiis; et Irenaeus tradit (1, 6): Καὶ γὰρ εἰδωλόθυτα ἀδιαφόρως ἐσθίουσι, μηδὲ μολύνεσθαι ὑπ' αὐτῶν ἡγούμενοι, καὶ ἐπὶ πᾶσαν ἑορτάσιμον τῶν ἐθνῶν τέρψιν, εἰς τιμὴν τῶν εἰδώλων γινομένην, πρῶτοι συνίασιν. Huic autem rei scortationes erant junctae. Act. XV: 20.

15. Οὕτως ἔχεις καὶ σὺ κρατοῦντας τὴν διδαχὴν Νικολαϊτῶν ὁμοίως. Ita, eodem modo ac Israëlitae ad sacrificia idolorum comedenda vocati sunt, suasore Bileamo, etiam tu, similem in modum, habes, qui Nicolaïtarum tenent doctrinam. Apparet Nicolaïtarum doctrinam arcte cohaerere cum Bileami agendi ratione, et Nicolaïtas haberi Bileamitas. Significationis τοῦ: οὕτως memores, non ita explicare sensum possumus: aeque

ac habes Bil. *porro* et Nicol. habes. Οὕτως - - - ὁμοίως comparationem indicat filiorum Israëlis cum ipsa ecclesia, quae et ipsa (καὶ σὺ) istos falsos habebat doctores.

16. Μετανόησον οὖν · resipisce igitur. Respicitur ad universam ecclesiam, quae Nicolaïtas toleraret; debebat istos in rectam ducere viam, aut, si jam demortua essent membra, abscindere. Εἰ δὲ μή, (cf. s. 5) ἔρχομαί σοι ταχύ, mox tibi adveniam, festinans adero, καὶ πολεμήσω μετ' αὐτῶν ἐν τῇ ῥομφαίᾳ τοῦ στόματός μου. Certabo cum illis oris gladio. Ἐν τ. ῥ. Praesertim in Apoc. praep. ἐν adhibetur de instrumento, ubi ceteroquin Dat. poni solet instrumentalis. Ap. VI : 8. XIII : 10. XIV : 15. Lc. XXII : 49. Mt. VII : 6. Rom. XV : 6. Cf. Jud. IV : 16, XX : 16. 1 Reg. XII : 18. Ex. XIV : 21, al. Ad ecclesiam Messias venturus erat et cum Nicolaïtis certaturus; tota vero ecclesia tristitia inde afficeretur (σοι), nisi resipisceret, et quominus ipsa negligentiae accusaretur prohiberet. Imo, infamis fieret apud omnes, qui audirent, Christum animadvertisse in adversarios suos, qui tamen Pergamenis quasi fratres erant, cum eos e societate sua ejicere debuissent. Cum gladius dicatur τοῦ στόματος ad angeli contra Bileamum gladium respici non videtur, cum vero *ex ore* prodit, significat: *sententia pronuntiata* poenas sumam.

17. Ὁ ἔχων οὖς ἀκ. Τῷ νικοῦντι, δώσω αὐτῷ τοῦ μάννα τοῦ κεκρυμμένου. Illi, qui vicerit, dabo de manna occulta. Hoc unicum est exemplum, verbum διδόναι construi cum Gen., cuius tamen vis facile perspicitur cum mox Acc. sequatur. Statim jam patet imaginem prae-

beri futurae beatitudinis, v. s. 7, partim edenda manna, partim candido lapide accipiendo. Nota Judaeorum traditio, a Jeremia vasculum mannae, dum templum a Nebucadnezare diruebatur, esse conservatum, et illud, adventu Messiae, in lucem esse proditurum. Ad hanc vero non respicitur. Christus ipse se panem viventem, veram mannam nominaverat, Joh. VI: 48 sqq. et promiserat se, pro mundi vita, panem, i. e. corpus suum daturum esse. Hancce mannam, panem coelorum, quae futurae vitae nutrimento est, v. Ps. LXXVIII: 24, (intimam cum Christo communionem) consequentur victores, qui et ipsi a deastrorum abstinuerunt sacrificiis et alios ad meliorem converterunt mentem. Dicitur occulta, quia in futura tantum beata vita in lucem prodit, cujusque mannae dulcedinem mundus ignorat, quamque nemo novit, nisi qui eam gustaverit. Si recte vidimus, Nicolaïtarum sectam cum Gnosticis cohaerere, qui mysteria ethnicorum in Christianorum usum convertere studebant et occultorum in lucem proferendorum artem callere se gloriabantur, cur hoc loco de manna occulta et nomine ignoto sermo fiat, in aprico est. Καὶ δώσω αὐτῷ ψῆφον λευκὴν, et dabo illi candidum calculum. Non cogitandum de Graecorum more lapillis albis reum absolvendi, atris condemnandi: talibus enim lapillis nulla inscribi solebant nomina, nec ipsi reo, verum judicibus, magistratui dabantur [1]); nec de pontificis summi ornamento pretioso; nec de ludis Olympiacis, e quibus victores, patriam intrantes urbem, tesseram accipiebant, in qua quid emolumenti accipe-

1) Cf. Theophrastus, Char. XVII. (XXI.) Περὶ μεμψιμοιρίας.

rent, indicatum erat [1]). Hoc modo tenendum, antiquos parvis lapillis inscribere solere. Dicuntur hic albi esse, quia est color candidus, splendens, v. I : 14. III : 4, 5. IV : 4. VI : 2 cet., puritatis indicium. Non lapillum tantum accipiet, verum lapillum, in quo ὄνομα καινὸν γεγραμμένον, ὃ οὐδεὶς οἶδεν, εἰ μὴ ὁ λαμβάνων, novum inscriptum est nomen, illi tantummodo notum, qui lapillum acceperit. Καινὸν, omnia nova sunt: nomen, carmen, coelum, terra, Hierosolyma: XIV : 3. XXI : 2. Novum erit nomen (cf. Jes. LXII : 2, LXV : 15 : וקרא לך שם חדש (אחר), non Dei aut Christi, verum quod quisque νικῶν accipit, et praeter eum nemo intelligit; novum est, quia indicat novam post hanc vitam et beatam conditionem: ille solus id novit, quia nemo de hacce beata judicare potest vita, nisi qui ipse beatus est. Quid nomen sit, ignoramus et lubenter subscribimus Bengelii verbis, infra laudatis. [2])

Quod ad Pergami nomen, monuerunt nonnulli, ecclesiae, quae ibi erat, sedem fore in urbe corroborata, Περγάμῳ, at juxta Satanae thronum. Haec vero mittamus.

---

1) Putarunt alii h. l. indicari tesseram, qua carere nequit, qui in superorum triclinium admitti cupit, et vocarunt illam: „Einlassbillet." Omnes vero hac sententiae cum disertis epistolae verbis, hac illave ratione, pugnant.

2) „Möchtest Du wissen, was Du für einen neuen Namen bekom-
„men wirst? Ueberwinde! Vorher fragst Du vergeblich, und nach
„her wirst Du ihn bald auf dem weissen Stein geschrieben lesen."

IV^ta. Epistola, (II: 18—29).

Ad ecclesiam Thyatirorum.

Thyatira, in Lydia sita, 19 horas Pergamo abest, in via, quae Pergamo Sardes ducit, prope fluvium Lycum. Habebatur inter civitates inhonoras. Non constat, unde et a quonam Evangelium acceperint Thyatireni: si conjicere licet, videtur Lydia, mulier quae purpuram vendebat, Thyatiris relictis Philippos profecta, ibique fidem Christianam amplexa, et ab Apostolo Paullo instituta, (Act. XVI: 14 sqq.) prima ejus semina ibi sparsisse. Hodie vocatur *Ak-hisar*, arx alba, qui est pagus fere 25000 incolarum, 3000 continens Christianos, qui Graecae addicti sunt ecclesiae et exigua N. F. gaudent notitia.

18. Τάδε λέγει ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ, haec dicit Dei filius. Ex forma, qua Messias, hominis filio similis, Johanni apparuerat, jam patet, eum Dei etiam filium esse, quo (cf. s. 27) respicitur ad Ps. II. Habet τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτοῦ ὡς φλόγα πυρὸς, oculi sunt ut ignis flamma, omnia perscrutantur et clarissima ponunt in luce (I: 14), v. s. 23; οἱ πόδες αὐτοῦ ὅμοιοι χαλκολιβάνῳ, et aeri pedes ejus sunt similes, qui certo incedunt gradu et quae obstant obteruntur, (I: 15) v. s. 27. Oratio variata pro: τοὺς πόδας ὁμοίους; cf. Winer, p. 509. sqq.

19. Οἶδά σου τὰ ἔργα, καὶ τὴν ἀγάπην, καὶ τὴν πίστιν καὶ τὴν διακονίαν, καὶ τὴν ὑπομονήν σου. Σου praeponitur, ut major ejus sit vis, v. Winer p. 140. Novi tua facta; generale dictum; mox qualia sint exponitur: ἀγ.,

π., δ., ὑπ. Cum post ultimum tantum nomen pronomen σου ponatur, exinde patet arctius ea cohaerere. Sunt duo paria, quorum membra sibi invicem respondent; laudatur amor et fides, sustentatio et patientia; amor, qui pauperum manifestatur subventione, fides, quae constanti probatur patientia. Amor, sensu latiore sumendus, (amor erga Deum, Christum, fratres, omnes,) eos permovit, ut pauperes sublevarent. Act. XI: 29. 1 Cor. XVI: 15. 2 Cor. IX: 12 sq. Fides effecit, ut patientes miserias ferrent, quibus mundus eos afficiebat. Additur: καὶ τὰ ἔργα σου τὰ ἔσχατα πλείονα τῶν πρώτων, et facta tua postrema, primis majora. Non tantum harum iis datur virtutum laus, progressus etiam laudabiles fecerant, ita ut hujusce temporis facta longe iis praestarent, quae cum Christo nomen darent, fecerant. De ecclesia Ephesina contrarii quid dicitur s. 4.

20. Ἀλλὰ ἔχω κατὰ σοῦ, ὅτι ἀφεῖς τὴν γυναῖκα Ἰεζάβελ. Cf. s. 4. Ἀφεῖς, ab ἀφέω, (Winer p. 75) explicat glossa repudianda ἐᾷς, permittere, sinere: non dimittis τ. γυν., mulierem. Non mirum pronomen σου a nonnullis (de Wette,) e textu esse ejectum: exscribentium, qui incogitanter rem suam agebant, est lapsus. Haecce mulier, ἡ λέγουσα, κτέ., constructione mutata pro: τὴν λέγουσαν. Nimis artificiosa, quam Winer p. 473 commendat, lectio videtur: ἥ, quae, dicens cet. Legendum videtur participium, substantive positum, cf. III: 12 IX: 14; mox, oratione mutata, haecce participii constructio transit in verbum finitum: κ. διδάσκει κ. πλανᾷ. Τοὺς ἐμοὺ δούλους pertinet et ad διδ. et ad πλαν., et τὸ: πορνεῦσαι καὶ φαγεῖν εἰδωλόθυτα ad τὸ: διδ., quod sequente πλαν. tamquam falsa doctrina notatur. Illa igitur mu-

lier, Jesabel, quae prophetissam se esse profitebatur, docuit et seduxit Domini servos, ut scortarentur et carnem sacrificam ederent; non est hysteron proteron, verum τό : πορν. praecedit, quia summa Thyatirenorum erat labes. Religionis speciem praetexere haud erubescebat nefariis stupris vitaque lasciva. Eadem igitur docuit, quae a Nicolaïtis commendabantur. Hanc vero ita agere impune sinebat ecclesia. (s. eius ἄγγελος). Mulier ecclesiae optime erat nota; verum ejus nomen reticetur, et Jesabelis nomine insignitur, quia ejus agendi ratio Jesabelis referebat exemplum. Jesabel, Achabi uxor, filia Ethbaälis, Sidoniae regis, ad omnigena vitia, ad idolorum (Baäl et Astarte) cultum, ad scortationem maritum pellexit et Israëlitas pellicere enixa est. (Cf. 1 Reg. XVI : 31. XVIII : 19. XXI : 25. XXII : 53. 2 Reg. III : 2. IX : 22 sqq.) Ista mulier Jesabelis referebat mores; et ut supra, qui Bileami tenebant doctrinam, Bileamitae s. Nicolaïtae, sic haecce mulier Jesabel dicitur, ejusque asseclae Jesabelitae erant. Hocce Jesabelis nomine sectam indicari jam per se haud probabile est et ipsis verbis refutatur.

21. Καὶ ἔδωκα αὐτῇ χρόνον, ἵνα μετανοήσῃ, καὶ οὐ θέλει μετανοῆσαι ἐκ τῆς πορνείας αὐτῆς. Apparet satis diu eam pestiferam doctrinam sparsisse, qua re admodum ejus culpa augebatur. Tempus, dilationem Dominus dederat, atque etiam nunc dat, quo resipisceret; frustra vero dedit: resipiscere non vult. (οὐ θέλει). Etiam quod ecclesia eam tulerat, divinae clementiae ei erat testimonium, ut ad meliorem tandem converteretur mentem, utque a stupro (s. 14. 20.) abstineret. Μεταν. ἐκ, cf. s. 22. IX : 20, de conditione, ex qua egreditur quis.

Arctiorem saepius indicat nexum, quam ἀπό. Cf. Lc. II : 4; Synonyma sunt Joh. XI : 1. Cf. Act. VIII : 22.

22. Ἰδού, sequentem comminationem urget. Βάλλω αὐτὴν εἰς κλίνην, conjicio (quam certissime hoc faciam,) eam in lectum. Conjicere in lectum, i. q. aegrotum reddere, משכב, Ps. XLI : 4 et מטה, 2 Reg. I : 4-17. Lectus incestus jam aegrotantis fiet. Non alluditur ad Jesabelis historiam 2 Reg. IX : 31 sqq. Puniuntur et haecce femina et ejus socii, ut meriti sunt. Καὶ τοὺς μοιχεύοντας μετ' αὐτῆς εἰς θλῖψιν μεγάλην, et qui cum ea adulterant, qui ejus sequuntur exemplum et facta, qui, aeque ac ista mulier, unici Dei cultu relicto, sacrificae carnis esum licitum habuerunt stuprumque commiserunt, et vitae lascivae et impudicae, quod ipsa dedit exemplum, imitantur, illi, Nicolaïtae, similem in modum a Domino punientur, ἐὰν μὴ κτέ. v. s. 5.

23. Καὶ τὰ τέκνα αὐτῆς ἀποκτενῶ ἐν θανάτῳ, et ejus liberos morte interficiam. Liberi, non sensu proprio, sed figurato accipiendum esse sponte patet; τέκνα, i. q. μοιχεύοντες. v. Jes. LVII : 3 : בני עננה, 3 Joh. 4 : τὰ ἐμὰ τέκνα. Errant, qui h. l. poenas innui autumant, quibus filii afficiebantur, ad parentum luenda peccata. Ἀποκτενῶ ἐν θαν. Certissime interficiam : haec enim vis est additi ἐν. θ. Refert Hebr. מות־יומת, Lev. XX : 10. מות־יומת ... איש, οἱ ὁ : θανάτῳ θαναθούσθωσαν. Gen. II : 17. Num. XXIII : 10. 1 Sam. XIV : 39. 1 Reg. II : 37. 42. Ez. III : 18 al. De peste quidam cogitarunt, cum οἱ ὁ דבר verterunt per : θάνατος. At tenendum, vocis דבר primariam esse significationem : perniciem, inde mortem, pestem, (a rad. דבר seruit, duxit; secutus est, a tergo fuit, inde, insidiatus est.) Hos. XIII : 14. Ex.

IX : 3. Lev. XXVI : 25. Deut. XXVIII : 21. 2 Sam. XXIV : 13. 1 Reg. VIII : 37. Praep. ἐν, cf. s. 16. Καὶ γνώσονται πᾶσαι αἱ ἐκκλησίαι, ὅτι ἐγώ εἰμι ὁ ἐρευνῶν νεφροὺς καὶ καρδίας. Omnesque sine discrimine ecclesiae cognoscent, me renes et cor indigare: ἐγὼ ὁ ἐρ. quam magna hisce inest vis! Quae propria est Deo renum cordisque disquisitio, Ps. VII : 10. XXVI : 2. Jer. XI : 20 al. hanc sibi Messias tribuit. Νεφρ. κ. καρδ., hominis intimum notat, internam ejus vitam. Καὶ δώσω ὑμῖν ἑκάστῳ κατὰ τὰ ἔργα ὑμῶν. Sermonis vigore ipsos alloquitur reos, et iis minatur, se unicuique esse daturum, quae meritus sit. Dominus non κατ' ὄψιν, verum justum et aequum facit judicium: Ps. LXII : 13. אתה תשלם לאיש כמעשהו. Mt. XVI : 27. Rom. II : 6. Dei filius, qui judex est, justum, (κατὰ τὰ ἔργα,) omniscium, (ἐρευν. νεφρ. κ. καρδ.) omnipotentem (δώσω) se praestabit. Conjicio eam in lectum, en aenei pedes! indago renes, en ignei oculi!

24. Ὑμῖν δὲ λέγω τοῖς λοιποῖς κτέ. Ceteri vero, oppositi istis Jesabelis sectatoribus, oppugnantes illorum γνῶσιν, οὐκ ἔγνωσαν τὰ βαθέα τοῦ Σατανᾶ. Τὰ βαθέα Dei se invenisse Gnostici gloriabantur. Tertull. adv. Valent. c. 1: καὶ ταῦτα εἶναι τὰ μεγάλα καὶ θαυμαστὰ καὶ ἀπόῤῥητα μυστήρια. 2 : 38. „Vere caecutientes, qui profunda „Bythi adinvenisse se dicunt." c. 39. „Profunda Dei „adinvenisse se dicentes." c. 48. „Irrationabiliter au„tem inflati audaciter Dei mysteria scire vos dicitis." Ὡς λέγουσιν. Maxime convenit subjectum cogitare οἱ λοιποὶ, cum hoc, et τοῦ ἔχ., et τοῦ ἔγν. subjectum sit; neque obstat 3 pers.. Profunda Dei se scire jactabant Jesabelitae: ea vero profunda Satanae reliqui nomina-

bant. (s. 9.) Improbanda eorum sententia, qui ipsos Jesabelis asseclas hoc dixisse censent: se Satanae invenisse profunda! Improbanda et Vitringae: „illud ὡς „referendum simpliciter est ad τὰ βαθέα: Satanae vox „addita est ab ipso Domino." Quo tandem jure τοῦ σατ. separatur ab: τὰ β. atque interpositum habetur? Ceteris vobis οὐ βάλλω, (s. 22) non injicio, ἄλλο βάρος. De miseria hoc non intelligendum secutura, cum βάρος tale in praecedentibus non occurrat, oppositum (ἄλλο) huicce miseriae; neque Jesabelem onus fuisse exinde apparet, hoc culpae duci ecclesiae. Aliud onus, oppositum oneri, nunc iis imposito, non dabit Dominus. Mt. XXIII: 4. Act. XV: 28. Alia re sancta fidelium non restringetur libertas, praeter rem supra commemoratam.

25. Πλὴν ὃ ἔχετε κρατήσατε ἄχρι οὗ ἂν ἥξω, tantum quod habetis, donec venero, id ne vobis eripiatur conamini. Non tantum eos a carnis sacrificae esu et scortatione puros mansisse indicatur, tota simul eorum vita et facta complectitur. cf. 1 Joh. II: 24.

26. Καὶ ὁ νικῶν . . . δώσω αὐτῷ. Anacoluthon, qualia identidem occurrunt in nostro libro, atque, vel nemine monente, in oculos incurrunt. V. Winer p. 163. 506. Ἄχρι τέλους, i. q. ἄχρι οὗ ἂν ἥξω. Cuivis una cum morte finis adest, cum tunc ad eum Dominus veniat; universae ecclesiae maxime una cum postremo Messiae adventu et judicio. Τὰ ἔργα μου, opposita impiis istius foeminae Jesabelis factis (s. 22), qualia sint, ex praecedenti patet sectione: qualia Dominus, imposito mandato, ab iis exigit. Τηρῶν = κρατῶν. Dabo illi in gentes potestatem, quae s. 27 describitur secundum vaticinium

Ps. II : 8. 9. Ut, secundum Davidem, Messias gentium accipiet regnum, quod jam tenet (εἴληφα), sic fideles cum eo regnabunt. Jam nunc regnum per Christum obtinent, (I : 6. 9.) et, si ad finem usque constantes fuerint, Domini gloriae participes fient, quae omne hostile vicit: cf. III : 21. XX : 6. Ποιμανεῖ, cf. XII : 5. XIX : 15. Ad verbum fere haec ex LXX, Ps. II : 9, expressa: textus Hebr. habet תרעם, (a rad. רעע) confringes eos: LXX legerunt תרעם, (a rad. רעה) pasces eos. Ὡς κἀγώ, cf. Lc. XXII : 29. Ap. XX : 6. Potestatem habebunt in gentes, a quibus nunc vexabantur.

28. Καὶ δώσω αὐτῷ τὸν ἀστέρα τὸν πρωϊνόν. Stella, matutino tempore fulgens, solis tantum radiis pallescens. (אסתר, Esth. II : 7. עשתרת, Ἀστάρτη.) Eximius iis concedetur honor, qui seditioni pestiferae restiterint. Indicatur gloria illustris, coelestis δόξα, splendor eximius eorum, qui vicerint, cf. Dan. XII : 3. Mt. XIII : 43. Etiam hoc loco ad Nicolaïtas respici videtur, qui auditoribus novum lumen novamque auroram, s. γνώσεως stellam matutinam promiserunt, semet ipsos stellas dicentes lucentes, quae ecclesiae pellere debebant tenebras. Pro misera ista stella, victoribus vera promittitur. Ipse Christus stella matutina dicitur c. XXII : 16. Cl. HERINGA eandem tuetur sententiam, improbans Eichhornii interpretationem, pro δώσω ponentis θήσω. Ceterum hunc locum iis accenset, de quibus nondum liquet.

Quod ad nomen, θυατεῖροι quidam cohaerere sibi visi sunt cum θύος, sacrificium, et ἀτείρης, durus, firmus, qui frangi et conteri nequit: ecclesia igitur, quae, tam

in bonam, quam in malam partem, sacrificiis immolandis conteri frangique non potest.

V^ta. Epistola (III: 1—6).

Ad ecclesiam Sardensem.

Sardes, 13 horas Thyatyris absunt. Sita erat urbs prope Pactolum, in planitie, in Tmoli montis latere, ad Orientem Ephesi. Lydiae metropolis et Mermnadarum sedes fuit. Croeso regnante a Cyro Persarum juncta est ditioni. Tiberio imp. Sardes, una cum undecim urbibus, terrae motu vastatae, postea imperatoris ope sublevatae [1]). Saec°. 2 episcopi Melitonis fuit sedes. (cf. p. 15). Hodie miser est pagus, *Sart* nominatus, paucos continens Christianos.

1. Τάδε λέγει ὁ ἔχων τὰ ἑπτὰ πνεύματα τοῦ θεοῦ. Septem Dei spiritus (cf. I: 4) Christus habet, utpote Dei filius. (cf. V: 6). Christi ope Spiritus ecclesiam alloquitur, laudat, vituperat, consolatur regitque. Quod ipse dicit, Spiritus sunt verba. Ὁ ἔχων κτέ. Non quod ad Sardenses tantum, verum etiam quod ad universam ecclesiam Christus Spiritus habet: est generale dictum: nec de poena infligenda nec de omniscientiae potestate cogitandum est. De septem stellis v. s. Οἶδά σου τὰ ἔργα, ὅτι ὄνομα ἔχεις ὅτι ζῇς, καὶ

1) Tacit. Ann. II: 47. Eodem anno (A. C. 17) duodecim celebres Asiae urbes collapsae nocturno motu terrae: ..... Asperrima in Sardianos lues; ..... centies sestertium pollicitus Caesar, et quantum aerario aut fisco pendebant in quinquennium remisit..... Philadelphenos levari tributis placuit.

νεκρὸς εἶ. Novi tua opera, te nomen habere quasi vivas. Arctissime conjunguntur τὰ ἔργα et ὅτι cet.: novi tua debilia opera, quae testificantur tuam conditionem: nempe te mortuum esse, etiamsi fama ferat te vivere. Opponitur: Nomen habes, τῷ Mortuus es; videris — revera es, cf. Herod. VII: 138: ἡ δὲ στρατηλασίη ἡ βασιλέος ὄνομα μὲν εἶχε, ὡς ἐπ' Ἀθήνας ἐλαύνει, κατίετο δὲ ἐς πᾶσαν τὴν Ἑλλάδα. Liv. III, 65. „Jamque plebs ita in tribunatu ponere spei aliquid, „si similes Icilio tribunos haberet: nomina tantum se „biennio habuisse." Cum de falsa doctrina et de Nicolaïtis sermo non fiat, doctrinae puritate forte gaudebant, quae effecit ut, cum apud alios, tum apud semet ipsos vitae laudem haberent. Νεκρὸς εἶ: mortuus vero es. Fides tua, etsi proba videatur, fructus non tulit, mortua est fides. Cares amore et vera fide: fidei, spei et amoris indiges thesauro. In securitatis erat statu et mortiferam habebat quietem. In ceteris ecclesiis corrupta erat doctrina, lascivia, libidines venereae, ex imitatione idololatrarum ortae; in hac vero haec vitia locum non habebant, neque etiam ne ullam quidem periculorum aut calamitatum Jesus injicit mentionem; id, quod crimen eorum auget. Quidam torpor eorum animos invaserat, segnes erant et ignavi. Atque hoc quidem plerumque obtinet, ubi omnia tranquilla sunt et tuta; ubi vero calamitatibus expositi sunt, ibi, ut milites in acie, ita et Christiani formantur.

2. Γίνου γρηγορῶν, fortius quam ἔγειρε, (Eph. V: 14) evigila et vigila semper. Somnus est imago mortis; et, quod ad vitam Christianam, fere idem denotant. Audiunt Sardenses vituperium: Mortuus es! et exhor-

tationem: Expergesce! dum mox ad mortis imaginem redit Christus. Demortuo simillima ecclesia in vitam revocatur. Καὶ στήρισον τὰ λοιπὰ, ἃ ἔμελλον ἀποθανεῖν, et cetera confirma, quae in eo erant ut morerentur. Στηρίζω de animi aeque ac de corporis confirmatione dicitur. De animi confirmatione etiam adhibetur Luc. XXII:32. Ἐμ. dicit Christus, respiciens, qualis, dum eam exploraret, eorum esset conditio. Μέλλειν saepissime cum inf. praes. construitur; h. l. cum inf. aor. factum indicat, quod mox locum haberet, v. s. 16. XII: 4. Vestigia anterioris et melioris vitae, quae mox perirent, confirmare debebant. Τὰ λοιπὰ pro τοὺς λοιποὺς positum esse vix credo: etiamsi ceteros, (qui tunc oppositi sunt mortuis, et qui confirmatione non indigebant) confirmarent, eorum opera non plena fierent: si contra, quae melioris adhuc supererant conditionis, retinerent ac confirmarent, omnino spes erat, eorum consummata fore opera. Non cunctando ea confirmanda erant, verum properandum iis erat: οὐ γὰρ εὕρηκά σου ἔργα πεπληρωμένα ἐνώπιον τοῦ θεοῦ μου. Ἔργα, eorum Christiana conditio, publica vita conspicua, eorum agendi ratio non perfecta erat. Opera non sufficientia, non perfecta invenit Dominus, coram, i. e. teste et judice suo Deo, cujus nomine ecclesiam administrat; ἐνώπιον τοῦ θεοῦ: haec non referenda ad εὕρηκα, (apud Patrem perscrutatus tua opera non inveni etc.) sed ad proxime antecedens πεπλ. Erant eorum opera consummata coram hominibus, (unde ὄνομα habebant) at coram Deo haudquaquam erant absoluta. Animadvertendum autem est, plus hic intelligi, quam quidem exprimi.

3. Μνημόνευε οὖν πῶς εἴληφας καὶ ἤκουσας, καὶ τήρει

καὶ μετανόησον. Recordare igitur. Etiam Ephesina ecclesia cuiusdam debet recordari rei: unde ceciderit: Sardensis, quomodo audierit acceperitque. Sequens μετανοεῖν pendet ex illo: μνημόνευε. Ἤκ. κ. τηρ. nonnulli codd. non exhibent; videntur tamen non omittenda esse. Illa enim regula: „brevior lectio longiori est „anteponenda" in Apocalypsi nequidquam fere valet. Ille enim saepius verba cumulat, explicationis et gravitatis causa. Tam apud Ephesios, quam apud Sardenses boni quid in memoriam revocandum: illic πόθεν πέπτωκεν, hic πῶς εἴληφεν quomodo acceperit, non quid: non de materia, sed de forma sermo est. Nullum auditur de falsa doctrina vituperium: doctrina pura semper mansit; quod acceperant incolume servaverant, non vero modus, quo audiverant, idem semper mansit. Aliquando acceperant intimo corde, nunc auribus: olim ardenti animo summoque studio, nunc frigidi et falsae dediti quieti. Ut varii sunt modi in dando, instituendo, sic etiam in accipiendo, discendo. Et illa recordatio prioris fervoris in Evangelio accipiendo, qui novae vitae origo fuerat, efficeret, ut, quae mox amitterent, confirmarent. Debent hujus rei memores esse, illamque servare et ad resipiscentiam se convertere. Eodem, ac antea, audire debent modo, huncce audiendi modum conservare, et resipiscentia necessaria inde nascetur. Si ita agerent, novus iis allucesceret dies; sin minus, terribilis esset eventus. (v. II : 5, 16.) Ἐὰν οὖν (respicitur ad s. 2) μὴ γρηγορήσῃς, ἥξω ὡς κλέπτης, καὶ οὐ μὴ γνῷς ποίαν ὥραν ἥξω ἐπί σε. Si igitur non vigilas, veniam ad te, superveniam tibi furis instar, cum tantopere ad meliorem te redire oporteat

mentem. Fur imago est derepente et clandestino advenientis: ita Dominus veniet, et segnes tardosque eos opprimet, cf. Mt. XXIV : 42 sqq. Luc. XII : 39, 40. 2 Petr. III : 10. 1 Th. V : 2, 4. Conservatore autem haud indigna est comparatio. Ipse enim non comparatur cum fure, sed ejus adventus; atque omnino tertium comparationis tantum est spectandum. Optime convenit cum Sardensium conditione, quippe qui dormirent; eo enim tempore, cum somno oppressi sint homines, fur venit, ut auferat. Ita et Christus et Satanas ambo cum leone comparantur. Si Christum ita compares cum leone, in hoc spectatur *eminentia* prae ceteris animalibus : est enim quasi *rex* ceterorum omnium; si vero Satanam ita compares, in leone spectatur *crudelis hominum hostis*. Οὐ μὴ, quod nullo modo fieri potest, fortior est negatio: cf. II : 11. Winer p. 499 sqq. Ποίαν ὥραν. Acc. temporis, cf. Joh. IV : 52. Act. X : 3. Winer p. 205; ἐπὶ σέ, de scopo, s. fine, v. Lc. XV : 4. XXII : 52. Act. VIII : 36. Xen. An. VI : 2, 2. Cyr. I : 6. 39.

4. Ἀλλὰ ὀλίγα ἔχεις ὀνόματα ἐν Σάρδεσιν, οἳ οὐκ ἐμόλυναν τὰ ἱμάτια αὐτῶν. Sed paucos habes Sardibus: ὀνόματα pro : homines; cf. Num. I : 2. 20. XXVI : 53. Act. I : 15. Ap. XI : 13. Post vituperium, adhortationem, minationem, de paucis quibusdam sequitur laus et promissum. Ἔχεις: etiamsi ceteri inquinati essent, ecclesiae adhaerere non cessaverant. Οἳ οὐκ ἐμ. τὰ ἱμ. αὐτ., qui vestes suas non inquinarunt. Homines sordidi et moribus impuri vestes suas maculare dicuntur; qui vero honesti sunt eas servant. Non de albis, sed de immaculatis sermo est vestibus, quamobrem, quid veste indicetur, et unde

imago sumta sit, haud anxie quaerendum; sufficiat nobis scire, eos peccato non esse inquinatos. Verbo μολύνειν alludi ad Sardes, quae sordes factae erant, cui conjectura placet, credat. „Mihi autem subiit," ita Cl. HERINGA, „imaginem esse eorum, qui, cum „vigilare deberent, somno capi se passi fuerant, atque „humo strati vestes immaculararant; pauci vero illi vigi„laverant, adeoque, humo non strati, cum sponso am„bulare poterant ἐν λευκοῖς. Sed hanc opinionem non „urgeo; neque habeo ad eam tuendam, nisi Matth. „XXV : 1-13 et similitudinem locorum Apoc. XIX : 7—9 „et XXII : 12-17." Καὶ περιπατήσουσιν μετ' ἐμοῦ ἐν λευκοῖς, ὅτι ἄξιοί εἰσιν. Et ambulabunt mecum, albis vestibus ornati. Μετ' ἐμοῦ jungatur τῷ: περιπ. Ἐν λευκοῖς scil. ἱματίοις. Albas vestes induent beati, 5. VI : 11. VII : 9. XIX : 8, 14. Coelesti puritate, laetitia, honore fruentur, Christi beato consortio utentes. Ὅτι ἄξ. εἰσιν, nam digni hac re sunt, (cf. XVI : 6. 2 Th. I : 5.) qui in omnibus Christo se dederunt, qui praeter Christum nil noverunt. De merito non cogitandum: vita jam gratiae est donum, et non sibimet ipsis, Christo tantum gratias agunt, quod peccatis non inquinati sunt. Praeclare Vitringa: „Dignitas hic notat proportionem „et congruentiam, quae erat inter *statum gratiae*, quo „fuerant in his terris, et *gloriae*, quam Dominus ipsis „decreverat, aestimandam ex ipsa *lege gratiae*." Omnino notabile est, binas ecclesias (*Sardium* et *Laodiceae*), quarum infima erat conditio, oppositae binis satis puris, (*Smyrnae* et *Philadelphiae*) Nicolaïtarum haeresi non esse contaminatas.

5. Ὁ νικῶν, οὕτως περιβαλεῖται ἐν ἱματίοις λευκοῖς, καὶ

οὐ μὴ ἐξαλείψω τὸ ὄνομα αὐτοῦ ἐκ τῆς βίβλου τῆς ζωῆς, καὶ ὁμολογήσω κτἑ. Ex iis, quae praecedunt, facile efficitur, quid sit vincere. Inter victores non tantum (s. 4.) pauci illi recensendi, verum etiam ceteri, qui admonitioni s. 3. obtemperassent. Tria victoribus promisit Messias, quae unum hoc efficiunt: dabo illis aeternam, beatam vitam. Illi οὕτως, sic, congruens cum promissione s. 4, περιβ. ἐν ἱ. λ. cf. Mt. XI: 8. Ἐν, de instrumento, praesertim in nostro libro, v. II: 23; cf. Winer, p. 346. Porro iis promittit Dominus: οὐ μὴ ἐξαλ.: de οὐ μὴ v. s. 3. Duo sunt libri coram Deo: (v. XX: 12.) in altero, quid quis fecerit, notatur, in altero nomen scribitur. Imago sumta a magistratus libris memorialibus, in quibus mortuorum delentur nomina. Sic vera carentes vita vitaeque futurae felicitate indigni ex hoc libro expunguntur. Omnium continet nomina, qui vitalem accipiunt veritatem. Qui in fide permanet, persuasum sibi habere potest, se vitam beatam consecuturum esse; in aeternum ejus nomen legitur in Vitae Libro, (βίβλος τῆς ζωῆς,) in quo ante mundum conditum scriptum est. Cf. Ex. XXXII: 32 sq. Ps. LVI: 9. LXIX: 29. Jes. IV: 3. Dan. XII: 1. Phil. IV: 3. Lc. X: 20. Ap. XIII: 8. XVII: 8. XX: 12. XXI: 27. Victor praemio aeternae vitae condonatur, quorum vero nomen in libro non adest, reprobantur. cf. XX: 15. XXI: 27. Pulchra est cohaerentia huius enunciati cum s. 1. Scilicet, qui non nomen tantum habebant viventium, sed vere vivebant, horum nomen e viventium catalogo non deleturus erat Servator. Καὶ ὁμολογήσω τὸ ὄνομα αὐτοῦ ἐνώπιον τοῦ πατρός μου, καὶ ἐνώπιον τῶν ἀγγέλων αὐτοῦ. Conf.

Hebr. XIII : 15. Frequens est notio profitendi nomen in Johanneis scriptis. Conf. Ev. I : 20. IX : 22. XII : 42. 1 Ep. I : 9. IV : 2, 3, 15. 2 Ep. 6. Tertium est promissum: et agnoscam ejus nomen coram meo Patre ejusque angelis. Secundum Mt. XVI : 32 Jesus discipulum agnoscet coram Patre, secundum Lc. XII : 8, 9, coram Dei angelis. Tota epistola verbis, quae Christus his in terris locutus erat, repleta est. Τὸ ὄν. αὐτοῦ, ipsius nomen, tamquam unum ex meis, tamquam meum peculium testabor, et hi εἰς τὸ δεῖπνον τοῦ γάμου τοῦ ἀρνίου vocabuntur. Respicitur hic ad illustrem Jesu adventum, quum solennem pronunciet sententiam ad probos absolvendos, improbos damnandos. Declarat Christus, audiente Deo et Angelis: hic est victor, atque adeo dignus vita aeterna. Si removeamus tropum, restat hoc, eo tempore, quo Christus se ostensurus est judicem omnium, ita cum iis acturus est, ac solemus nos cum his agere, quos amicos nostros profitemur. Frequens vocis ὄν. repetitio huic loco gravitatem addit.

Prophetica nominis Sardium significatio secundum quosdam haec est: Sardes, Hebr. סָפִיר, (Obadja 20.) Lyd. Çvarada, novus. Sardium ecclesia, quia nova, renovata est, gloriabatur ὅτι ζῇ. De hac valet conjectura, quod de ceteris.

VI^ta. EPISTOLA (III : 7—13.)

Ad ecclesiam Philadelphenam.

Philadelphia, in Lydia, ad Tmoli pedem, tredecim horas *Sardibus* abest. Attalus Philadelphus eam con-

didit, nomenque suum indidit ei. Etiamsi promissum s. 10 expletum esse historiae luce probare non liceat, observandum, ecclesiam Philadelphenam adhuc viguisse, quum cetera Asia Mohammedis sectatoribus jam esset subdita. Saeculo 14mo ad finem vergente iis se tradidit, postquam stupenda audacia et constantia sese defenderant incolae. Hodie est pagus, *Ala Schehr*, arx versicolor, haud ita parvus, qui 1200 fere continet Christianorum Graecae ecclesiae addictorum, et 5 habet templa. Locus s. 7—13 Christianis ibi habitantibus aeque usitatus, ac alibi „Pater noster."

7. Τάδε λέγει ὁ ἅγιος ὁ ἀληθινός, ὁ ἔχων τὴν κλεῖν τοῦ Δαυεὶδ, ὁ ἀνοίγων καὶ οὐδεὶς κλείσει, καὶ κλείει καὶ οὐδεὶς ἀνοίξει. Quod ad singula haecce Messiae descriptio non ex I : 12 sumta; quod ad summam cum his, et maxime cum ipsius epistolae argumento congruit. Sanctus, verax et clavem Davidis tenens, quem Satanae synagoga calumniatur et contemnit. Ὁ ἅγ. est divina proprietas; IV : 8. Angeli sunt ἅγιοι, Christus vero ὁ ἅγιος, contra omnes Judaeorum contumelias, qui eum, cruci affixum, spernebant. Vid. Act. III : 14. Est etiam ὁ ἀλ., verax, quod vocabulum imprimis Johannes adamat: Joh. I : 9. VII : 28. XVII : 3. 1 Joh. II : 8. V : 20. Ap. III : 14. VI : 10. XV : 3. XVI : 7. XIX : 2. 9. 11. XXI : 5. XXII : 6 al. Cf. Jes. LXV : 16. οἱ ὁ. Non est verus Messias, ut Dusterdieck suadet, verum: ὁ verax, ut ipse Deus VI : 10; neque verus, certus, quod ad solvenda, quae promiserat, (Ewald), sed fidelis, imo et justus, atque adeo summa fiducia dignus. Christiani Philadelpheni, prospicientes in Christum, nil timebant Judaeorum molimenta,

cum Messias iis ὁ ἁλ. est. Ὁ ἔχ. τ. κ. τ. Δ., qui Davidis habet clavem. Sequens καὶ Hebr. pro ὥστε. Verosimiliter alluditur ad Jes. XXII: 22, ubi de perfido Sebna dicitur, Deum de loco eum propulsurum esse, et in ejus locum Eljakim substituturum, et illi sic promittit Jehova: ונתתי מפתח בית־דוד על־שכמו ופתח ואין סגר וסגר ואין פתח:. Cavendum ne nimis ultro progrediamur, neque Christum cum Eljakim componamus. Eljakim non est typus quod ad Christum, perfectum domi ministrum. Dicitur κλ. Δ., non κλ. οἴκου Δ: habet igitur Davidis clavem, est haeres ejus potestatis, novus dominus, alter Davides. Prior Davides typus Messiae ejusque fuerat aeterni regni. Messias, radix Davidis (V: 5. XXII: 16. Lc. I: 32), qua talis, ejus habet clavem. Suprema igitur viget auctoritate et potestate in vera, coelesti Sione, vero Davidis regno, tamquam verus Davides, et clavis Davidis est clavis regni coelorum. Ὁ ἀν. κτέ. Hebr. mutatio. part., in tempus fin.: hisce, quid sit ἔχ. τ. κλ. explicatur. Non de peccatorum remissione (Mt. XVI: 19) cogitandum: plus verba valent: tenet summam potestatem, tamquam Messias, et ita concedere potest ut aliquis in suum intret regnum, potest etiam prohibere, nemine resistente.

8. Οἶδά σου τὰ ἔργα, novi tua facta; omnia, quae agis, mihi nota sunt, v. II: 2. 9. 13 al. Ἰδοὺ, quod mox bis etiam additur: primo dicitur, quod Dominus fecit; tunc quod facit, tandem quod faciet. Δέδωκα ἐνώπιόν σου θύραν ἀνεῳγμένην, ἣν οὐδεὶς δύναται κλεῖσαι αὐτήν· ὅτι μικρὰν ἔχεις δύναμιν, καὶ ἐτήρησάς μου τὸν λόγον καὶ οὐκ ἠρνήσω τὸ ὄνομά μου. — Θύρ. ἀν. Multi

de Evangelium denunciandi cogitant facultate; alii de ostio aperto ad scripturas intelligendas, alii de aditu templi; alii de aditu in Domini laetitiam, alii aliter. Quod ad primam sententiam, majori Evangelium denunciandi facultate, quam alii, Philadelphenos gavisos esse, probari nequit. Provocant ad 1 Cor. XVI : 9. 2 Cor. II : 12. Col. IV : 3, quibus locis omnino ita sensus constituendus est. „Ast vero num propterea," inquit cl. HERINGA, „quia Paullus, in longe alio versans argumento, hac figura usus fuerit, num idcirco Johanni in longe alia re, in longe alia contexta oratione ejusmodi significationem obtrudemus?" Sensus est: „vobis ego aditum ad civitatem praebui, quem „nemo potest intercludere." Mira sane his inest simplicitas. Dominus asseverat, januam iis patere, aditum ad Deum et ad Servatorem. Solatio iis est, se coram Judaeis infestissimis Christum adire posse, et neminem, dolo aut vi, divitias, a Christo sibi datas, sibi posse eripere. Iis, qui antea peccato a Patre erant sejuncti, Christus viam munivit, quae ad Patrem ferebat, hominem cum Deo reconciliavit, januam aperuit, quam nemo claudat. Ἐνώπ. σ, idem ac σοι, Act. VI : 5, καὶ ἤρεσεν ὁ λόγος ἐνώπιον παντὸς τοῦ πλήθους. Gen. XXXIV : 18. 1 Joh. III : 22. Lc. IV : 7. Est Hebr. לפני. Ἦν - - - αὐτὴν, v. Mr. I : 7. VII : 25. XIII : 19. Ap. VII : 2. 9. III : 8. XX : 8. Apud LXX multo frequentior: Ex. IV : 17. Jos. III : 4. Ruth I : 7. Ps. XXXIX : 5. Xen. C. I : 4. 19. Ὅτι μ. ἔχ. δύν., quia parvam habes potestatem. Parva erat ecclesia contra opulentos Judaeos, et egestate pressa. Καὶ ἐτ. cet. et tamen meum verbum servasti. Sensus hic est:

etiamsi parva vigeas potestate, tamen verbum meum servasti et nomen meum non abnegasti in afflictionibus, quum amplam me abnegandi haberes ansam. Hanc ob rem (ὅτι) apertam tibi dedi januam: cum tam fidum te expertus sim, omnes tibi petenti coelestes divitiae largiter affluent, omniaque quae indigeas, nemine prohibente. Ex ἐτήρ. et ἠρν. apparet, etiam hanc ecclesiam persecutioni obnoxiam fuisse.

9. Ἰδοὺ διδῶ ἐκ τῆς συναγωγῆς τοῦ σατανᾶ τῶν λεγόντων ἑαυτοὺς Ἰουδαίους εἶναι, καὶ οὐκ εἰσὶν, ἀλλὰ ψεύδονται. Ecce, do ex Satanae Synagoga, eorum qui perhibent se Judaeos esse, et non sunt, sed mentiuntur. Διδῶ, nude positum: objectum est Gen. part. τῶν λεγ. v. Winer, p. 466 et II: 17. Fuerunt e Satanae Synagoga. v. II: 9. Contenderunt se esse Judaeos; cum vero Messiam spernerent et calumniarentur eius discipulos, mentiebantur ita loquentes. Temporum mutatio, etiam ter repetito ἰδοὺ, in oculos incidit: jam dudum ipsis Philadelphenis, janua aperta, aditus ad Dominum patuit, et etiamnunc patet. Jam, qui Davidis tenet clavem etiam aliis januam aperit, quibusdam ex Judaeis. Ἰδοὺ, ποιήσω αὐτοὺς ἵνα ἥξουσιν καί προσκυνήσουσιν ἐνώπιον τῶν ποδῶν σου, καὶ γνῶσιν ὅτι ἐγὼ ἠγάπησά σε, efficiet etiam, ut illi ad ecclesiam accedant et coram ea prosternentur et cognoscant Dominum eam dilexisse. Ποιήσω, cujus objectum αὐτοὺς, idem ac τ. λεγ. Π. αὐτοὺς, attractio ut Col. IV: 17. Gal. IV: 11. VI: 1. Winer, p. 552. Ἵνα seq. ind. fut. ut Ap. VI: 11. XIV: 13. XXII: 14. Mr. III: 2. XIV: 2. 31. Joh. IV: 34. XV: 16. XVII: 2. 1 Cor. XIII: 3. Gal. II: 4. 1 Petr. III: 1. Προσκυνεῖν ἐν. τ. π. σ., non coram te Deum adorare,

neque: te adorare, verum ut Jes. LX: 14. והלכו אליך שחוח בני מעניך והשתחוו על־כפות רגליך כל־מנאציך וקראו לך עיר יהוה ציון קדוש ישראל: venerationis est indicium. Est Hebr. השתחוה, seq. ל personae: Gen. XXIII: 7. XXXVII: 7, 9, 10. 2 Sam. IX: 8. XVIII: 21. 28. 1 Reg. I: 23. Ruth II: 10. Rarius seq. לפני Gen. XXIII: 12. Vid. Mt. II: 2. IV: 10. XIV: 33. XXVIII: 17. Joh. IV: 21. 23. sq. XII: 20. Hebr. I: 6. Apoc. IV: 10. V: 14. VII: 11 al. Nonnulli ex iis venient ad te, Messiae ecclesiam, tamquam ad veram Sionem: coram ecclesia prosternabuntur, cum agnoscant, Dominum versari in medio ejus, eam unicum salutis esse fontem, quam nunc e Dei regno extrusam censent, in conjunctione cum ea tantum beatitudinem inveniri. Cf. etiam Jes. XLIX: 23. Ps. LXXII: 9. Zach. VIII: 20 seq. Ὅτι ἠγ. σε. (cf. Joh. XIII: 1. Gal. II: 20) Dominus dilexit eam, nempe, morte pro ea subeunda, itaque ad Deum eam reducendo januamque aperiundo, quae hactenus clausa prohibuerat, quominus Deum Patrem adirent. Qui nunc mortali ecclesiam prosequebantur odio ad Dominum se conversuri erant et confessuri, Dominum eam dilexisse. Quidam ex Judaeis hoc facient: ceteri, Satanae synagogae adhaerentes, ad extremum relinquuntur judicium. Profecto, praeclarius vix iis concedere potuit Christus praemium, magisque eximiam laudem.

10. Ὅτι ἐτήρησας τὸν λόγον τῆς ὑπομονῆς μου, κἀγώ σε τηρήσω ἐκ τῆς ὥρας τοῦ πειρασμοῦ τῆς μελλούσης ἔρχεσθαι ἐπὶ τῆς οἰκουμένης ὅλης, πειράσαι τοὺς κατοικοῦντας ἐπὶ τῆς γῆς. Quia servasti meum constantis patientiae verbum, etiam ego te servabo. Antanaclasis: ab altera

parte ecclesiae agendi ratio, ab altera Christi praemium. Non quid meruerint commemoratur, nam ipsa ὑπομονὴ Dei gratuitum erat donum. Τὸν λόγ. τ. ὑπ. μ. Genit., qui proprietatem notat nominis cui jungitur: sic Ap. XIII : 3. ἡ πληγὴ τοῦ θανάτου αὐτοῦ, vulnus eius mortis, mortale eius vulnus. Lc. IV : 22. λόγοι τῆς χάριτος. XVI : 8. οἰκόνομος τῆς ἀδικίας. Col. I : 13. υἱὸς τῆς ἀγάπης. Rom. I : 26. πάθη ἀτιμίας. Est Hebr. dicendi formula. Si hisce pron. pers. addatur in gen., jungatur sensui, binis illis nominibus expresso. Hebr. I : 3. τῷ ῥήματι τῆς δυνάμεως αὐτοῦ, per potens suum verbum. Col. I : 13. Ap. XIII : 3. v. s. Est igitur: mea doctrina de constantia, verbum meum, quo constantes et patientes ut maneatis, vos adhortatus sum. (v. Lc. XXI : 19. Mt. X : 22. XXIV : 13). Patientia tuebitur eos a calamitatibus, quae mundum manent. Verbum patientiae est vitae aeternae Evangelium, quod alibi crucis verbum dicitur: 1 Cor. I : 18, quia crucem et patientiam Christi ante oculos ponit, ita Servator noster facti, nosque docet crucem patienter pone Christum ferre nos oportere. Κἀγώ σε τηρ. ἐκ κτὲ. Servabo te ex; cf. Joh. VII : 14. Joh. XVII : 15, non ἀπό. Jac. I : 27. שמר מן. Ps. CXL : 5. CXLI : 9. CXXI : 7. Non ei promittit Messias, tentationem ad eam non perventuram esse, quae ad omnes potius spectat (VII : 3. 14), verum, quia jam patientem servaverat constantiam, ex insequenti periculo eam se erepturum esse atque servaturum innuit. Ὥρα τ. πειρ., tentationis hora, miseriae, quae ante Messiae reditum locum obtinerent, calamitates, quibus illi in labendi periculum adducerentur. Τῆς μελλ. ἔρχ. ἐπὶ κτὲ. quae

in universam venict terram; cf. Lc. II : 1; hic vero latius patet et plus quam imperium Romanum indicat, cum, quod Johannes prophetam, non historicum agit, tum, quia sequitur: οἱ κατοικ. ἐπὶ τ. γ. in omnes ejus incolas, tam in fidos, quam in impios. Terrae incolae sunt omnes sine discrimine homines, v. VI : 10. XI : 10. XII : 8. oppositi iis, qui Messiae sunt peculium, V : 9. Tentatio fit, quod ad fidos, ut avellantur a Christo, (II : 10), qua re, a Domino adjuvati, fides et amor eorum pateat; quod ad mundum, ut ejus pervicacia et pernities appareat, cf. IX : 20. XVI : 11, 21. Πειράσαι cf. Lc. II : 22, 24. Winer, p. 290 sq. „Ceterum cf. Christi vaticinatio Matth. XXIV : „4—14. 22. 24. 30. 31. coll. Luc. XXI : 35 sq. Haec „qui conferat cum ll. Apoc. VII : 1—8. II : 10. XII : 9, „ille habebit nostri loci optimum commentarium. Conf. „et Joh. XVII : 15. X : 27 sqq." Cl. HERINGA.

11. Ἔρχομαι ταχύ· κράτει ὃ ἔχεις, ἵνα μηδεὶς λάβῃ τὸν στέφανόν σου. Ἔρχ. ταχύ. v. XXII : 7. 12. 20. Messiae adventus impiis (cf. II : 5. 16) meritas infliget poenas, piis spei et solatio est, praesertim cum coronam Dominus teneat. Teneas, quod habes. Ut Ephesina ecclesia hoc habet, quod Nicolaïtas odit, sic Philadelphena, quod, etiamsi parva esset, in afflictionibus verbum Christi tuita est, et nomen eius non abnegavit. Hanc ob rem, si ulterius etiam id tenet, coronam accipiet, v. II : 10, aeternam beatitudinem, quam electi fide jam tenent et quam Dominus suo tempore illis concedet. Λάβῃ cf. Lc. V : 5. Ap. VI : 4, ne aliquis rapiat tuam coronam. Ecclesia, tenens et tuens quod habet, coronam non amittet; ideo ad perseverantiam

cos Dominus impellit, gratiam iis spondens. s. 10. False Züllig et Grotius: „ne alius tuam accipiat coro„nam." Non exstat ἄλλος, sed μηδεὶς, nec cogitari hoc potest. Alius illi coronam potest eripere, non vero ipse ut eam accipiat. Coronae commemoratio ad solitum ducit promissum.

12. Ὁ νικῶν, ποιήσω αὐτὸν στῦλον ἐν τῷ ναῷ τοῦ θεοῦ μου, καὶ ἔξω οὐ μὴ ἐξέλθῃ ἔτι. Ut in ceteris epistolis, sic in hac, victoris sequitur praemium, quid post mortem consecuturus sit commemoratur. Columna fiet in templo Dei: ποιήσω αὐτόν; post casum absolutum Pron. redit in casu, quem verbum postulat. v. Joh. XV: 2. Mt. XII: 36. Act. VII: 40. Sacerdotis dignitate in regno coelesti, in templo Dei fungetur; columna dicitur, quia securus et immotus in loco sancto manebit. „Tantum cogitandum est de conditionis perpetuitate et constantia." Cl. HERINGA. Καὶ οὐ μὴ ἔξ. κτἑ., (v. Winer p. 449 sq. et s. 5) nec umquam amplius inde egredietur. Ἐξέλθῃ fere idem ac ἐκβάλλεσθαι. Mr. IV: 21. Mt. VIII: 12. Non desciscet neque ejicietur. Omnino ita loqui poterat, qui clavem regni tenebat, s. 7. Καὶ γράψω ἐπ' αὐτόν κτἑ. Tria inscribentur in illo: non in columna, (cujus imago jam missa, καὶ οὐ μή ἔξ.) sed in victore, in ejus fronte, ut pontifex summus, qui nomen Dei tantum inscriptum exhibebat: קדש ליהוה: et ut servus, perpetuo servitio addictus, qui stigmatibus notari solebat: cf. Ezech. IX: 3—5. Apoc. XIV: 1. XXII: 4, vid. et XVII: 5. VII: 3: nomen Dei, nomen urbis Dei, novorum Hierosolymorum, novum Messiae nomen. XVI: 12, v. II: 17. Nomen Dei, forte יהוה (I: 8) indicat sanctam, quae

inter victorem et Deum intercedit necessitudinem: victorem peculium, ministrum, imo Filium Dei esse: VII : 15; urbis nomen, eum civium uti jure; Messiae nomen, eum participem esse Domini victoriae gloriaeque, eum in aeternum, regis instar, eum caelestis regni aeterno rege, esse dominaturum.

Nomen Philadelphiae notat amorem fraternum, et putarunt quidam, illo nomine merito urbem indicari, in qua amor viguit fraternus, cuiusque incolae nomen Domini fratrumque salutem continuo ante oculos habebant.

VII^ma. Epistola. (III : 14—22).

Ad ecclesiam Laodicensem.

Laodicea, antea *Diospolis*, dein *Rhoas* vocata, ab Antiochi II regis, Θεὸς dicti, (262—247 a. C.) uxore *Laodice* nomen accepit. Sita erat ad Orientem Ephesi, vicina Colossis, ad fluvium Lycum, unde, ut ab aliis ejusdem nominis distingueretur urbibus, Λ. ἡ ἐπὶ Λύκῳ dicebatur. Inter illustres opulentasque habebatur Asiae urbes, quae imprimis gregibus ovillis divitias suas debebat. Semicirculum fere septem nostrae constituunt urbes: Epheso relicta, septentrionem versus Smyrnam et Pergamum, Orientem versus Thyatira, meridiem versus Sardes, Philadelphiam, Laodiceam se contulit auctor. Apostoli Paulli tempore ibi jam Christianorum exstabat coetus. Col. II : 1. IV : 13. sq. Anno 62 Laodicea tremore terrae prolapsa est, atque propriis vi-

ribus revaluit. Anno c. 168 aerae nostrae Laodiceae de Paschali festo controversia agitata est, quo tempore Sagaris, ejus episcopus, martyrium subiit. Anno c. 360 concilium ibi habitum. Hodie ingentes et formidolosae tantum ruinae antiquam ejus gloriam testantur. Habet nomen *Eski-hissar*, alta arx, paucis pauperibusque ibi degentibus hominibus.

14. Τάδε λέγει ὁ ἀμήν, ὁ μάρτυς ὁ πιστὸς ὁ ἀληθινὸς, ἡ ἀρχὴ τῆς κτίσεως τοῦ θεοῦ. Haec dicit ὁ ἀμήν, substantive ponitur vox, quae alias adjective vel exclamative usurpatur: אמן, οἱ ὁ: γένοιτο, cf. 2 Cor. I: 20. Jes. LXV: 16. Omnino notabile, in Jesu sermonibus, Johannem eum proponere bis vocem Amen pronuntiantem, ceteri Evangelistae semel tantum. Ὁ ἀμήν, qui revera is est, qui omnibus quae dicit addere potest: profecto ita est, cum homo non nisi dubitanter quid dicat; veracissimus, qui ipse non est nisi veritas. Explicatur per sequens: ὁ μάρτ. ὁ π. ὁ ἀλ. ex I: 5 sumtum. Est testis fidus et verax: testis est sequentis epistolae testimonio; tuto ei fiducia habetur, et propter eius veritatem, revera est testis genuinus, dignus, qui hocce gerat nomen. (v. s. 7). Ne putes, rem tibi fore cum homine quodam, qui facile fallitur, qui iniquum facit judicium, minime gentium! testis fidus et verax tuam novit conditionem, te admonet, tibi resipiscenti gloriam praebebit. Judicium fidi et veracis testis non falsum habendum, comminatio eius non vilipendenda, promissis ejus fides habenda. Ἡ ἀρχὴ τ. κτ. τ. θ. cf. Col. I: 15 sqq. Quid hoc sit admodum interpretes disceptant, dum, quae sola admitti potest interpretatio, facile apparet. Ceterae omnes

verborum obstant sensui; duae tantum dignae sunt, quae commemorentur: aut ἀρχὴ τ. κτ. est primum exemplar creationis, prima Dei creatura (Ariani), aut indicat activum creationis principium. Tam ipsa Apocalypsis, quam totum N. F. vetat, quominus illi subscribamus sententiae: quomodo enim creatura talia poterat scribere? quomodo, qui adoraretur, dignus haberi, V: 13, si ipsis adorantibus adnumerandus est? Quomodo quae I: 8, XXII: 13 leguntur, de creatura possunt praedicari? Nullus dibito, quin h. l. indicetur ille, a quo omne quod exstat, existentiae accepit fundamentum. cf. Joh. I: 1—3.

15 sq. Οἶδά σου τὰ ἔργα, ὅτι οὔτε ψυχρὸς εἶ οὔτε ζεστός· ὄφελον ψυχρὸς ἦς ἢ ζεστός. Novi tua facta, te neque frigidum esse, neque fervidum: posteriora τὰ ἔργα explicant. Figura haec sumta est a potu, quo delectari solent homines, sive fervidus sit, sive frigidus; utrumque amant Orientales; tepidus vero potus ingratus iis erat, nauseamque crearc solet. Fervidus autem is est, qui fervidum erga Servatorem concepit amorem, frigidus, qui illum non expertus est. Qui fervidus est, nil agit, nisi quae Christo placent, nisi Christum nil curat; qui frigidus est, facit, quae Christo displicent, semper peccat. Ecclesia autem Laodicensis nec fervida, nec frigida; dubia est et fluctuans; neque Servatorem prorsus rejicere, neque ejus causa cetera omnia contemnere vult; medium tenere cupit. Ὄφελον. v. Winer. p. 270. Utinam frigida aut fervida esses! Frigor tepori praestat; frigidus enim Spiritu S. ad Christum perduci potest, dum tepidus, Spiritus S. efficaciam et vim et calorem jam expertus, nullos exinde habuit fructus,

et melioris conditionis spem frustratur: est χλιαρός; positive nunc cui similis sit dicit Messias. Neque pro Christo, neque contra Christum; neque fervidum habet amorem, neque letale odium: Dominus adiaphoron ferme ei est: cf. Mt. VI: 24. XII: 30. 1 Joh. II: 15. Hanc ipsam ob causam, quia tepida est ecclesia, οὕτως, itaque, (Rom. I: 15), Messias dicit: μέλλω σε ἐμέσαι ἐκ τοῦ στόματός μου, ex ore te evomem, ut aqua tepida vomitum ciet. De μέλλειν cf. s. 2. Ἐμέσαι non nisi hoc loco in Novo T. occurrit. Exstat apud Alex. Jes. XI: 14. Terribilis est comminatio, multo magis timenda, quam quae II: 16, 23, enunciatur. Tota ecclesia a Messia repudiabitur. Antequam vero id ei contingat, Dominus, quid revera sit, eam docet, et urgentem addit admonitionem, qua audita periculum effugiet.

17. Ὅτι λέγεις ὅτι πλούσιός εἰμι καὶ πεπλούτηκα καὶ οὐδὲν χρείαν ἔχω. Quia dicis cet., jungantur cum s. 18. Non cur Dominus eam evomat dicitur, (hoc jam s. 16 factum: ὅτι χλιαρὸς εἶ.) verum cur ei consilium det, aurum cet. sibi comparandi. Insuper ut hoc fiat parallelismus inter s. 17 et 18 suadet. Sic quoque Cl. HERINGA. Λέγεις ὅτι, talis usus particulae ὅτι, ad recitandum cuiuspiam sermonem, frequens est: cf. XVIII: 7. sed v. V: 12. H. l. retinendum est. Πλούσιός εἰμι. De opibus terrenis cogitant quidam, contra de thesauro coelesti alii. Nullus dubito, quin hi recte judicaverint. Confitendum, argumentis, quibus de Wette sententiam de thesauro coelesti defendit, praecipuam vim ademisse Niermeijer [1]); nec cum Hengstb. divitias ad idem pertinere genus

1) Magazijn v. Krit. en Exeget. II. p. 134 sqq.

ac sequens πτωχὸς monere sufficit: cf. II: 9. Verum, quae de semet ipsa praedicat ecclesia, congruat necesse est cum teporis, in quo versatur, statu, et cum Domini verbis. Fac, Laodicenos divites fuisse, et terrenis opibus esse gloriatos, et superiora quaevis omisisse, num tales homines tepidi vocari possunt? Nonne potius frigidi sunt? Si contra spirituali sensu divites sese cogitabant, hunc thesaurum tamquam necessarii quid habebant, eo se carere non posse opinabantur, (ut Dominum, quia non frigidi sunt, prorsus rejicere nolunt), illo vero thesauro gloriabantur, ultro se nulla re indigere censebant: erant tepidi. Utrumque hoc loco cogitandum esse, maxime autem posterius, opinatur Cl. HERINGA. Etiamsi vero divitem se habeat ecclesia, non est. Πλ. εἰμι, πεπλ., οὐδ. χρ. ἔχω, est climax: dives sum, divitiae accreverunt ita ut nulla indigeam re; cf. c. XVIII: 7. Hos. XII: 9. Καὶ οὐκ. οἶδας ὅτι σὺ εἶ ὁ ταλαίπωρος, καὶ ὁ ἐλεεινὸς καὶ πτωχὸς καὶ τυφλὸς καὶ γυμνός. Καὶ. Emphasin habet huius vocabuli repetitio. Indicat enim eo, quod praecessit, nondum satis esse dictum, sed identidem aliquid esse addendum. Multa huius rei in Apoc. occurrunt exempla. Et nescis, ὅτι σὺ, te, affectu dicitur, te, qui tam divitem te esse credis, esse τὸν ταλ.. v. Rom. VII: 24, et hanc ob causam ἐλέους ἄξιον. v. 1 Cor. XV: 19. Miser est et miserabilis κατ' ἐξοχήν, cum nulla re se indigere cogitet: pauper et caecus et nudus est, cum divitem et opibus repletum se habeat. Tria haec adjectiva indicant vitam, extra Christum peractam.

18. Συμβουλεύω σοι ἀγοράσαι χρυσίον παρ' ἐμοῦ πεπυρωμένον ἐκ πυρὸς, ἵνα πλουτήσῃς. Ironia quadam dictum:

suadeo tibi ut emas aurum a me. Est pauper, et debet emere aurum, ut dives revera fiat: est nudus, et emere debet albas vestes, ut eas induat: est coecus, et unguentum emere debet, ut videre ei liceat; παρ' ἐμοῦ, παρὰ, Hebr. מעם, de re, quae ab aliquo, s. ex alicujus propinquitate provenit. Mr. XIV: 43. XII: 2, ἵνα παρὰ τῶν γεωργῶν λάβῃ ἀπὸ τοῦ καρποῦ, fructuum pars, quae in manibus agricolarum erat. Joh. XVI: 27, ἐγὼ παρὰ τοῦ θεοῦ ἐξῆλθον, exii de Deo, scil. apud quem antea versabar. (ἦν πρὸς τὸν Θεὸν Joh. I: 1.) V: 41. XV: 26. Eph. VI: 8. Lc. II: 1. 2 Petr. I: 17. Πυρόω, LXX pro: צרף liquefacere, purgare igne, Jes. I: 25. Mal. III: 3. Zach. XIII: 9. 1 Petr. I: 7. al. Ἐκ. de causa τοῦ purgare. Indicat aurum verum coelestem thesaurum, qui vere divitem reddit. Aurum igne probatum unicum est verum; sic thesaurus, quem Christus suis praebet, revera thesaurus dici meretur. Καὶ ἱμάτια λευκὰ ἵνα περιβάλῃ, καὶ μὴ φανερωθῇ ἡ αἰσχύνη τῆς γυμνότητός σου. Et albas vestes (v. s. 4) ut foedam tegant nuditatem. Idem aurum ac vestes notat: sibi eas comparent, ut pauperes et nudi, (quod itidem ad idem redit) esse desinant. Καὶ μὴ Φ., ne appareat, in universum dictum. Καὶ κολλύριον ἐγχρῖσαι τοὺς ὀφθαλμούς σου, ἵνα βλέπῃς, et collyrium, ut oculos oblinas. Collyrium (v. Lex.), unguentum, ad lippitudinem sanandam oculorum caecucientium inserviebat. Indicatur autem Spiritus S. donum, qui oculos illustrat. 1 Joh. II: 27, qui a Christo datur ejusque est Spiritus Joh. XVI: 14. Thesaurum adepti, vestes induentes, oculis sanatis, profecto divites dici poterant. Non urgenda verborum consecu-

tio, neque cum Ebrard et Olshausen res ordine inverso accipiendas esse statuendum, ita ut, ad divitias acquirendas aurum quis emat: antequam hoc emat, nuditatem tegere eum oportet, et, ut haec tegatur cupere nequit, nisi sanatis oculis. Aurum ideo praepositum, quia arctissime c. praec. sect. cohaeret: divitem sese habebat, at pauper erat, aurum igitur emat ut revera sit dives. Porro, aurum eundem coelestem thesaurum notat, ac vestes albae. Tandem observandum, etiamsi ordine inverso haec sumantur, nequaquam ea cum adjectivis s. 17 convenire, ubi vel πτ., γ., τ., vel τ. γ. πτ. esset legendum. Emere autem ea omnia ecclesia debet, et, nihil possidet, est pauper! Omnino; verum haec emantur παρ' ἐμοῦ, a Christo, qui omnia gratis dat. (Cf. Jes. LV: 1. Ap. XXII: 17.) Sed quoddam tamen solvant pretium necesse est: abstineant a ficto illo thesauro, ut verum per Christum consequantur, pauperes semet ipsos cognoscant, opinatione nociva turpique missa: tunc Christus divites eos reddet.

19. Ἐγὼ ὅσους ἐὰν φιλῶ ἐλέγχω καὶ παιδεύω· ζήλευε οὖν καὶ μετανόησον. Ego, qui testis fidus sum, quoscunque diligam, reprehendo et instituo. Ἐὰν pro ἂν post pron. rel.: Mt. V: 19. VIII: 19. X: 42. XI: 27. Joh. XV: 7. Lc. XVII: 33. 1 Cor. VI: 18. XVI: 3. Gal. VI: 7. Eph. VI: 8 al. Φιλεῖν, omni vi sua tenendum. Falsc Grotius: non plane abjicere; v. II: 6. Etiam pessimam ecclesiam servare cupit Christus, amore suo erga peccantes infinito. Hosce ἐλ κ. π. Ἐλέγχειν, coarguere, reprehendere, erroris et peccati convincere. Hoc inde a s. 15 fecerat Christus. Παιδεύειν in universum est: instituere, fiat id verbis, plagis,

alia ratione, (Act. VII : 22. Tit. II : 12), quod fecerat s. 18. Illa agendi ratio testis iis esse debet Christi amoris; quos enim diligit reprehendit. Poenas se iis impositurum non minatur, ut, metu ducti se convertant, — amor potius Servatoris, qui eos adhortatur, eos permoveat, (οὖν) ut fervidos et strenuos se gerant, ut tarditatem mittant, cuius nota coetui adhaesit, ut resipiscant. Non est ζήλ. κ. μετ. ἓν διὰ δυοῖν, neque ὕστερον πρότερον (de Wette): Dominus, adhortatur eam ut, tepore misso, strenue agat et huiusce facti fructus resipiscentia erit.

20. Ἰδοὺ ἕστηκα ἐπὶ τὴν θύραν καὶ κρούω· ἐάν τις ἀκούσῃ τῆς φωνῆς μου καὶ ἀνοίξῃ τὴν θύραν, καὶ εἰσελεύσομαι πρὸς αὐτὸν, καὶ δειπνήσω μετ' αὐτοῦ, καὶ αὐτὸς μετ' ἐμοῦ. Est monitum, quale occurrit II : 5, 16 cet. Januae adstat Dominus, eamque pulsat et clamat. (ἐάν τις ἀκ. τ. φ. μ.) Τὸ: clamare explicandum ex more, quod, januam pulsans, simul voce se prodere solebat. Quis hospitium Christo facere recusaret? Τὸ κρούειν fit verbo divino, fatis, Spiritus s. efficacitate, hic maxime per epistolam. Portae cordis uniuscuiusque adest: sic Laodicenis, ἐλέγχων καὶ παιδεύων, in amore ostendendo. Ἐάν τις ἀκούσῃ, cf. Winer p. 179 sq. καὶ εἰσελ. Hebr. structura, cf. VI:1. 12. Lc. II:15. Et si quis audierit meam vocem; ergo non omnes illam audirent et januam aperirent Messiae; quidam tantum. Intrabo ad illum, et ego cum illo coenabor et ille mecum. Lc. XII : 36. Καὶ αὐτ. μ. ἐμ. Johannes talia amat: Joh. XIV : 21. XV : 4. 9. 10. XVII : 1. 10. 18. 21. 23. Non de futura vita haec sunt intelligenda, (cuius seq. demum sect. incipit promissum,)

verum de vita terrestri, quae suavissimam Dominum inter et discipulos habere potest necessitudinem, ita ut coelestium agni nuptiarum hilaritates quodammodo frui jam his in terris possimus. Δειπν. κτλ. uberrimam et jucundissimam communionem indicat, quae est inter Dominum et fidos. Hoc loco Cant. V:2 citari vix credo: Ebrard tamen opinatur, nuptiarum ideam, una cum doctrina, Christum ecclesiae esse sponsum, Cantico niti, v. Mt. IX:15. XXV:1 sqq.

21. Ὁ νικῶν, δώσω αὐτῷ καθίσαι μετ' ἐμοῦ ἐν τῷ θρόνῳ μου, ὡς κἀγὼ ἐνίκησα καὶ ἐκάθισα μετὰ τοῦ πατρός μου ἐν τῷ θρόνῳ αὐτοῦ. Victori concedam, ut mecum consideat in meo throno. Quid sit vincere, partim ex iis, quae praecedunt, intelligitur, partim latius etiam patet. Praemium indicatur aeternae vitae. Thronus Messiae idem est ac Patris, XXII:1, et ita annuitur beata cum Deo et Servatore necessitudo. Ὡς κἀγὼ ἐν. v. II:27. Hebr. pro: νικήσας ἐκάθισα. cf. V:5. VII:17. Phil. II:9. Hebr. XII:2. Hocce promissum praecedentia fere complectitur, et omnia cunctim beatam depingunt Christi discipulorum sortem futuram, ut etiam tituli, quibus Messias aliis semper se indicat, unum constituunt Dei filium et hominum Servatorem. Hocce promissum pulcherrimum et suavissimum est omnium: non quia eo magis digna erat Laodicensis ecclesia ceteris, sed quia, quod ultimum est, cetera etiam continet: arboris vitae fructibus vescetur, (II:7) quam Dominus sevit; a secunda morte non laedetur, (II:11) quia in aeternum cum Christo manet; mannam comedet, quae descendit de Domini throno (II:17): potestatem habebit in gentes, quia in throno considet

(II : 26): albas induet vestes, quia sanctus et purus renunciatus est (III : 5): columna in templo Dei erit, (III : 12) nam huncce thronum numquam relinquet. Summa igitur proponitur fidelium beatitudo, hocce verbo: considebit in meo throno.

22. Ὁ ἔχων οὖς ἀκουσάτω τί τὸ πνεῦμα λέγει ταῖς ἐκκλησίαις.

Nomen Λαοδικεία, a λαοδίκη, masc. λαοδίκος, a populo judicatus, false nonnulli autumarunt, indicare democraticam, q. v. regiminis formam, unde tepor, ut populo placerent, ortus esset.

THESES.

I.

Apocalypsin ab Apostolo Johanne scriptam esse contendo.

II.

Imperante Domitiano Apocalypseos liber confectus est.

III.

Nicolaïtae, de quibus Apoc. c. II. s. 6. mentio fit, iidem fuerunt, ac illi, qui dicuntur κρατεῖν τὴν διδαχὴν Βαλαάμ. s. 14.

IV.

Apoc. c. II. s. 20 ita legendum: Ἀλλὰ ἔχω κατὰ σοῦ, ὅτι ἀφεῖς τὴν γυναῖκα Ἰεζάβελ, ἡ λέγουσα ἑαυτὴν προφῆτιν, καὶ διδάσκει καὶ πλανᾷ τοὺς ἐμοὺς δούλους πορνεῦσαι καὶ φαγεῖν εἰδωλόθυτα.

V.

Errant, qui Apoc. c. III. s. 8: θύραν ἀνεῳγμένην de facultate Evangelii denunciandi interpretantur.

VI.

Realem suam praeexistentiam, q. d. significavit Christus apud Joh. VIII: 58.

VII.

Paulli effato Rom. III: 28 minime Jacobi de operibus doctrina repugnat.

VIII.

Statuo Jesum revera e mortuis in vitam rediisse.

IX.

Ad S. S. recte interpretandam, Spiritu S. interpretem praeditum esse oportet.

X.

Apostolus Paullus Dei nomen Christo tribuit.

XI.

Jus sibi antistites eligendi universo competit Christianorum coetui.

XII.

Praeclare dixit poëta Francogallus:
L'amour sur tous les dons l'emporte avec justice.
De notre céleste édifice
La foi vive est le fondement;
La sainte espérance l'élève,
L'ardente charité l'achève
Et l'assure éternellement.

XIII.

In pueris doctrinae Christianae initiis erudiendis singularis adhibenda est cura ab Evangelii interpretibus.

XIV.

Ethices Christianae praestantia, cum aliis in rebus, tum in perfecto, quod imitandum praebet, exemplo, cernitur.

XV.

Vituperandus orator sacer, qui nulla plebeculae ratione habita, doctioribus, aut hisce neglectis, illi placere studet.

XVI.

Oratori sacro auditorum erroribus favere nequaquam licet.

1912019